STATUTA ALMI, ET PERINSIGNIS COLLEGII MAIORIS SANCTI CLEMENTIS HISPANORUM...

Collegio di Spagna, cardinale Albornoz

112

STATVTA
ALMI,
ET PERINSIGNIS
COLLEGII MAIORIS
SANCTI CLEMENTIS
HISPANORVM BONONIÆ
CONDITI.



BONONIÆ, M.DC.XLVIII.

Ex Typographia Hæredis Benatij: Superiorum permissu.

ALPHONSVS
Miſeratione diuina
EPISCOPVS PRÆNESTINVS
S. R. E. CARDINALIS DELA CVEVA
NVNCVPATVS,
REGIÆ CATHOLICÆ MAIESTATIS
Ab intimis ſtatus conſilijs:
Protector Collegij Maioris Hiſpaniarum
SANCTI CLEMENTIS BONONIÆ
AB PIISSIMÆ MEMORIÆ
ÆGIDIO S.R.E. CARD. ALBORNOTIO
FVNDATO.

Per Illuſt. viris, Rectori & adſcriptis eidem Collegio Sodalibus: Salutem in eo, qui eſt vera Salus.

Collegiorum, quibus bonarum litterarum prouentus amplior, & cenſus doctrinæ copioſus paratur, quam ſancta commodaq; chriſtianæ Reipublicæ ſit inſtitutio, & res ipſa per ſe loquitur, & ſapientium iuditia ambigere vetant, ſenſuſq; eorum qui in laudandæ, hac opera facultates ſuas contulerunt, liquido confirmant. Verum vt omnia in humanis rebus viciſſitudine patent, aſſidueq; variata, velut in Euripo circumuoluuntur; id circo laborandum non ſegniter eſt, vt quæ Collegiorum inſtitutio ab auctoribus ſapienter inducta fuit, identidem inſtauretur, ne fundatorum ſpes irrita ſit, bonoq; publico per eorum ad quos attinet ſollicitudinem diligentiamq; ſeruiatur.

Quapropter, cum Almum S. Clementis Bonon. Maius Collegium in Hiſpanicæ nationis gratiam ab Aegidio S. R. E. Card. Albornotio cuius in rem chriſtianam merita, nulla vnquam ſeculorum vetuſtas obliterabit, iam pridem conſtitutum optimiſq; communitum legibus fuerit delecti ſubinde eius Protectores

§ 2 *iure*

iure merito, vel in pristino nitore conseruarunt, vel ea in quibus primæuus splendor, vtcumq; obscuratus detritusq; videri posset grauiter instaurarunt.

Quæ citra eo nos acrius vrgere, ac stimulare debet quod præ omnibus, qui ad hanc vsq; diem Collegij huius Aegidiani patrocinium sortiti sunt, ea nos præcipua planeq; singulari prærogatiua gaudemus, quod gentilitia decora cognatorum mutuo consequentium naturali nexu materna, paternaq; serie ab Aegidio æternæ mem. fundatore repetimus: siquidem D. Aluarus Garcia de Albornoz Petri Regis Pincerna primarius, & Regi Henrico eius nominis Secundo, Maiordomus, Præfectus idemq; Aegidij Card. prior natus germanus maternæ stirpis nostræ Auctor fuit, aquo transfusum ius habemus in Albornotiam ditionem. Præterea vero eidem genti per paternam seriem conserimur, quandoquidem Parentis nostri Auia eidem stirpi Albornotiæ acceptam originem referebat.

Iustissimum proinde videtur, vt nobile adeo pietatis, ac munificentiæ monimentum ab Albornotijs conditum, quibus tot nexibus illigamur peculiari studio ab nobis curetur enixe laborando, vt quos lectissimos fructus Aegidius fundator ex Collegij à se erecti optima informatione sperauit, pergat feliciter profundere, & quoniam in patrocinij huiusce nostri exordio iam inuenimus à felicis Record. Gaspare Card. Borgia postulatum fuisse Eminentiss. D. Aegidium Tit. Sancti Petri in monte aureo Card. Albornotium eiusdem familiæ decus, & ornamentum, ob insignia merita de Christi Ecclesia optime meritum, vt huiusce Collegij visitandi cura, viro virtute moribusq; conspicuo demandaretur, atq; in eum finem Pontificium diploma iam editum fuisse, ideo communi consensu numinis maiorem gloriam, & maius, Vberiusq; Collegij bonum obijcientes oculis, vt id rite perficeretur D. Ioannem IbaneZ de Madariaga Thesaurarium Canonicumq; Vallisoletanum selegimus, quæ omnia grauiter, & cum fide præstitit cumq; nobis è re non solum Collegij, sed etiam publica futurum videretur si non nulla ad meliorem opportunioremq; formam pertinentia temporibusq; (quibus semper seruiendum est) maxime consentanea in melius immutarentur typisq; publicis ederentur pro quorum omnium validitate accessit etiam confirmatio Apostolica fel. Recor. PP. Vrbani Octaui vt in breue sub data 27. Februarij Anni 1644. ea tabulis hisce nostris commissa libenter transmitimus, nec non facultatem nobis benigne inpertitam à S. D. N. Innocentio PP. X. pro eligendis eiusdem Collegij Rectore, & Collegialibus, vt litteris Sanctitatis suæ in forma breuis datis 26. Iunij anni præteriti 1646. quibus adiungi debent, eaq; auctoritate, & virtute ipsius Breuis acta sunt.

Vestrum igitur erit, quam nos sedulitatem in promouendo communi bono Collegijq; vtilitate consulendo adhibuimus, subiunctis operæ curaq; vestræ studijs acceptam gratamq; vobis accidisse commostrare.

Romæ 12. Martij 1648.

Episc. Pranest. Card. dela Cueba.

VRBANVS
PAPA VIII.
AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

ALiàs Collegij, quod bon:mem: Ægidius Albornotius Hiſpanus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis in Ciuitate noſtra Bononien. ad Hiſpanicæ Nationis in bonis artibus eruditionem magnis ſumptibus erigendum curauit; fœlici Regimini, atquè gubernio conſulere volentes, ac de dilecti filij noſtri Aegidij Tituli Sanctæ Mariæ in via Presbyteri Cardinalis Albornotij nuncupati è familia, ſeù domo primodicti Aegidij Cardinalis, vt aſſerebatur, deſcendentis, ſingulari fide, prudentia, integritate, & zelo plurimum in domino confiſi, eidem ſecundo dicto Aegidio Cardinali per noſtras in ſimili forma Breuis ſub die 8. Aprilis 1633. expeditas literas, vt occaſione ſui per Ciuitatem Bononien. tranſitus, dictum Collegium tam in capite, quam in membris per ſe ipſum; ea vice dumtaxat viſitare, aliaquè tunc expreſſa facere, & gerere poſſet conceſſimus ac poſtmodum Nobis per eumdem Aegidium Cardinalem expoſito, quod in ſuo è Ciuitate Mediolanen. ad Almam Vrbem reditu, morbo affectus Collegium prædictum viſitare perſonaliter nequiuerat; illud verò viſitatione maximè indigebat, & à dilecto filio noſtro Alphonſo tituli Sanctæ Balbinæ Presbytero Cardinali de Cueua nuncupato vti antiquiori nationis Hiſpanicæ Cardinale ad viſitationem huiuſmodi faciendam proximiori viſitari minimè poterat. Nos per alias noſtras in ſimili forma Breuis ſub die 24. Aprilis 1638. expeditas, & infrà præſentibus inſertas literas eidem Aegidio Cardinali, perſonam Eccleſiaſticam, quæ pro ipſo ea vice, dumtaxàt viſitationem huiuſmodi, aliaquè tunc expreſſa facere, ac etiam quæcumque dicti Collegij Statuta abrogare, aliaquè de nouo

condere, & illa obſeruari facere poſſet deputandi facultatem in partiti Sumus. Cum autem ſicut dictus Aegidius Cardinalis Nobis nuper expoſuit Collegij huiuſmodi viſitatio à perſona Eccleſiaſtica per dictum Aegidium Cardinalem, vigore prædictarum noſtrarum literarum deputata peracta fuerit, & pro fœliciore eiuſdem Collegij directione per ipſum Aegidium Cardinalem antiqua ipſius Collegij Statuta, nonnullis ex parte, nonnullis vero penitus abrogatis, alijſquè etiam de nouo, & ex integro conditis, in vnum volumen compilata fuerint. Cum approbatione dilectorum etiam filiorum noſtrorum Alphonſi tituli Sanctæ Balbinæ Presbyteri de Cueua Protectoris dicti Collegij, & Hieronymi Sanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalium Columnæ reſpectiuè nuncupatorum Eccleſiæ Bononien. ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulis tenoris ſubſequentis videlicet.

STA-

STATVTA
ALMI
Et perinsignis Collegij Maioris
SANCTI CLEMENTIS
HISPANORVM BONONIÆ
CONDITI.

PRIMA DISTINCTIO.

IN qua agitur quomodo domus, & Sacellum siuè Capella Collegij appellari debeant, de Capellanis, eorum qualitate, electione, siuè admissione, & iuramento, Cubiculorum assignatione, victu, salario, siuè subsidio de ipsorum, atquè sodalium erga diuinum cultum officio, negligentia, & correctione, ac de eorumdem in Collegio permansione, & expulsione, alijsque eiusdem generis.

STATVTVM PRIMVM.

Quod Collegium domus Hispanorum, & ipsius sacellum nomine Sancti Clementis nuncupetur.

IN primis voluntatem Domini Aegidij S. R. E. Cardinalis Albornotij Episcopi Sabinensis, Archiepiscopi Toletani, totius Italiæ Legati generalis, & Collegij Conditoris sequentes; statuimus, vt domus hæc, siuè Insula Bononiæ sita in via, quæ Zaragozæ dicitur, iuxtà fanum Sanctæ Mariæ de Muradellis Collegium Hispanorum nuncupetur, & Capella siuè Sacellum intra ipsum ædificatum nomine Sancti Clementis Papæ, & Martyris cui dedicata est; vocetur.

STATVTVM SECVNDVM.

Quod Capellani quales, & cuiates esse debeant, à quo deligi, atque admitti, & de Iuramento in admissione ab ipsis præstando.

ITem statuimus, vt in Collegio semper sint quatuor Capellani natione Hispani, & si Hispani non reperiantur; Vndècumquè admittantur, qui sint apti, & idonei, ideſt honestæ, probæquè vitæ, ac legentes, & cantantes, ad cuius rei experimentum antequam admittantur, quindecim saltem dies Bononiæ Commorentur, & in Sacello Sacris ministrent, Missas aliquot cantent, ac sæpius coram Rectore, & Sodalibus celebrent; Tunc de moribus vtrumuè apti, & idonei sint; Stetur iudicio Rectoris, & Consiliariorum, à quibus sunt eligendi, dummodò non sint quoquo modo, aut fuerint religiosi, siuè Monachi cuiusuis Ordinis, vèl Canonici Regulares, & afferant à suis Præsulibus literas, quæ dimissoriæ dicuntur, & facientes fidem posse ipsos celebrare Rector autem, & Consiliarij alios, aut secus deligentes, grauiter, in officio suo se dilinquere intelligant, & nihilominus talis admissio sit irrita, & inanis. Postquàm verò huiusmodi Capellani idonei fuerint comperti, antequam assumantur, iurabunt in manibus Rectoris tactis Sacrosanctis Euangelijs Coram Consiliarijs, vel horum maiori parte, se omnia Statuta Collegij ædita, & edenda, ad ipsos spectantia, diligenter seruaturos, & iam edita, à die suæ admissionis intra quatuor menses perlecturos. Rectoriq; in licitis, & honestis obtemperaturos, ac eumdem obseruaturos: nec horum Statutorum abrogationem, seù mutationem, vnquam per se, vel per alium modo aliquo quæsituros neque huiusmodi rei consensuros; requisitos porro, iura, & priuilegia Collegij tutaturos, & quamdiù in Collegio permanebunt, quæcumq; cognouerint illi nocitura, quamprimum commodè poterunt, nulla cuiusq; consanguinitatis affinitatis, odij, amicitiæ, gratiæ, seù fauoris habita ratione fideliter indicaturos, & nisi iura sua, suorumuè tuerentur nunquam contra Collegium, nec contra Posteros, & gentiles D. Aegidij Albornotij, aut ipsorum dignitatem, siuè commoda per se, vel per alios, quicquam facturos, aut molituros, nec ad id cuipiam auxilium, seù fauorem præstituros. Itaque nisi hoc, vt prædicitur iure iurando dato, vt nullum Capellanum admittant Rectori, & Consiliarijs proposita pœna medietatis subsidij illius anni, præcipimus, & nihilo secius teneantur admissi sic iurare, quod si recusauerint, pellantur à Collegio.

STA-

STATVTVM TERTIVM.

Quòd Capellani communem vitam cum Sodalibus agant non tamen sint membra, quasi Corporis Collegij, ac de eorum prouisione, & subsidio.

ITem statuimus, vt Cappellani vitam communem habeant cum Sodalibus in victu, cubiculis, & eorum suppellectile, vt inferius cauebitur, sed tanquam Corporis Collegij membra non habeantur, etiam si fuerint Hispani neque ad actus, siue Conuentus Sodalium publicos admittantur, habeantq; pro subsidio singuli libras centum, & quinquaginta bononienses in singulos annos: tribus æquis solutionibus scilicet initio studij, ac in Fœstis Natalis, ac Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi faciendis, ante quos terminos, & vltra tertiam partem in quolibet termino dari ne liceat, nisi quis discedere vellet, tunc enim licebit pro rata temporis parte, quo seruierit in Collegio Salarium tribui discedenti. Dantem verò, & recipientem contra huiusmodi decretum pœna arbitraria plecti volumus. Habeat etiam quilibet Capellanorum singulis annis olei, vel candelarum libras triginta ad vigilias, & lucubrationes quemadmodum Sodales; Et si quis eorum in Sacra Theologia Magistri, vel in alterutro iure Doctoris gradum in Bononiensi Collegio Doctorum acceperit, ad tubas, atque bellaria, suggerat ei Collegium libras quatuor bononienses, & si quos voluerit inuitare in triclinio, seù Refectorio Collegij suis expensis Rector (si videbitur) præbeat ipsi panis ad vnum corbem, vini vsque ad duos.

STATVTVM QVARTVM.

Quommodo Capellani se debeant habere circa diuinum Cultum ferijs, & diebus Solemnibus.

ITem statuimus, vt Capellani diuinis Officijs in Sacello quotidie seruiant, quorum duo saltem singulis diebus Missam celebrent pro animabus D. Aegidij nominatim, & eius consanguineorum ita videlicet, vt vnus prima luce Missam mortuorum (nisi de occurrenti festo fuerit celebranda) & alter secundam hora tertia diei officio conuenientem celebret, ac bini alternis hebdomadis diuina officia peragant, alter alteri subministrantes. Quod si tres ex Capellanis, vel omnes quatuor vellent quotidie celebrare pietatem eorum in Domino commendamus. In festis verò duplicibus maioribus videlicet Natalis Domini cum duobus diebus sequentibus, Circumcisionis, Epiphaniæ,

Resur-

Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi, & in quatuor festis Beatæ Mariæ,& in ipsius Conceptione, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ,Beatorum Apostolorum Petri,& Pauli, Beati Iacobi Hispaniarum Custodis,quatuor,Doctorum Ecclesiæ, dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, sequenti die mortuorum Beati Clementis Papæ, & Martyris, Sancti Laurentij, Sancti Martini, Beati Nicolai Confessoris, Beatarum Catherinæ Virginis, & Martyris, & Mariæ Magdalenæ, Beati Blasij Martyris, & Sanctorum Eugenij 15. Nouembris, & Alponsi 23. Ianuarij, Archiepiscoporum Toletanorum, omnes Capellani simul vespertinas preces, hora congruenti,in vigilia,& matutinas antè diem hieme, æstate post cœnam cantent: Missam quoque ad horam tertiam cum apparatu solemni Diacono, & Subdiacono, atque cum cantu solemniter celebrare, & vespertinas preces eodem die, hora, & forma consuetis similiter canere teneantur, prouideatque Rector, vt dum Missa diebus his celebratur sit aliquis Clericus in Choro, qui psallat cum quarto Capellano, & alter, qui ministret celebrantibus. Cœteris autem diebus festis, quæ Bononiæ celebrantur à labore cessando Missam hora tertia,ac vesperinas præces ipso die,hora conuenienti, & die Cinerum Missam tantummodo canant; In maiori tamen hebdomada ea celebrent diuina Officia, quæ in Sacello ritè valeant celebrari.

STATVTVM QVINTVM.

De Missa pacis, & exequijs anniuersarijs celebrandis, & cui oblationes in Sacello facta debeant attribui.

ITem Sancimus, vt 15. die Ianuarij singulis annis Capellani omnes in Sacello Collegij Missam pro pace, & concordia, ac conseruatione Collegij nominatim, solemniterque omninò celebrare teneantur, & in ea præcari pro Collegij Statutorum Reformatoribus eiusdemq; Benefactoribus; Item volumus,vt semper in Vesperis 23.die mensis Augusti, qua D.Eegidius ex hac vita migrauit, & postridie ad Missam in Sacello, pro illius anima, anniuersariæ exequiæ solemniter singulis annis celebrentur: quatuor dumtaxat cereis facibus lucentibus; qua die quilibet Capellanus totum Officium mortuorum pro ipsius D. Aegidij, & consanguineorum animabus dicat: Et anniuersarijs exequijs, quæ singulis annis eadem die vespere, & postridie in Missa celebrantur, intersit. Item singulis annis in Sacello Collegij die penultima Decembris ad vesperinas preces, & postridie ad Missam anniuersariæ exequiæ pro anima D. Petri de Frias Cardinalis Hispaniæ nuncupati à Capellanis celebrentur Oblationes verò si quas Sodales,ac domestici Collegij, & quicumque alij

alij in quibuscumque diuinis Officijs offerent, in Sacello Collegij Parochiali Ecclesiæ, intra cuius fines Collegium est situm, volumus attribui. Item singulis annis die 26. Augusti solemne sacrum pro defunctis Sodalibus celebretur.

STATVTVM SEXTVM.

Cui ornamenta Sacelli, & reliqua supellex ad Officia celebranda debeant consignari, per quem apparari, & de ijsdem ornamentis quolibet Anno augendis.

ITem, vt diuina Officia probè administrentur atquè Sacra rite celebrentur, statuimus, vt vni ex Capellanis, (cui Rectori, & Consiliarijs videbitur) ornamenta omnia Sacelli, Libri, Calices, Patenæ, & omnis reliqua supellex à Rectore, & Consiliarijs consignentur, per authenticum inuentarium, qui Capellanus omnia, & singula diligenter custodiat, ac pro ratione dierum, atque festorum paret, & tradat, seù quemadmodum Rector ei duxerit iniungendum, iurabitq; idem Capellanus se à finibus Bononiensibus sinè licentia Rectoris, antequam omnia sibi tradita ipsi, & Consiliarijs consignauerit, ac per idem inuentarium plenam de omnibus rationem reddiderit non discessurum; de quo iuramento fiet scriptura publica, quæ in arca Cameræ Rectoralis, siuè in archiuio Collegij cum inuentario prædicto seruetur pœna periurij Rectori,& Consiliarijs imminente,ipso facto,si in rebus fuerint negligentes; quibus etiam, & Capellanis sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ prohibemus, nè ornamenta, candelabra, aut alia quæcumq; suppellectilia ad Sacellum pertinentia sub quouis prætextu etiam vrgentis Collegij necessitatis (licet omnes Collegiales consentiant) alienare, pignorare, neque aliquo modo, vel etiam ad Ecclesiasticos vsus commodare præsumant, quod si secus factum fuerit, alienationem, seù pignorationem irritam declaramus, & nullam. Et vt de cœtero diuinus Cultus in Sacello circa Altaris ministerium, ea qua par est decentia exerceatur, præcipimus Rectori, & Consiliarijs, vt deinceps singulis annis in nouis ornamentis, siuè Sacris Vasis conficiendis, aut veteribus reparandis, vel resarciendis, octuaginta libras bononienses ad minus expendere teneantur, qui si in hoc negligentes fuerint, de suo duplum pro amplioribus sumptibus sequenti anno in prædictis omnibus faciendis soluere compellantur.

STA-

STATVTVM SEPTIMVM.

De pœna Capellanorum, qui diuinis Officijs non interfuerint, ac de eorum defectibus suppleudis, & quod nullum Officium habere posſint, per quod Sacelli miniſterium impediatur.

ITem ſtatuimus, vt ſi quis Capellanus non interfuerit omnibus Officijs, vt ſupra diximus, atque anniuerſario, quod ſingulis annis 24. menſis Augusti Veſpere, & poſtridie in Miſſa, quæ in Eccleſia Sancti Ioannis in Monte pro anima D. Aegidij Albornotij celebratur iuſta cauſa ceſſante, de qua fidem Rectori faciat ſaltem, per proprium iuramentum, aut circa prædicta Officia adminiſtranda Rectori quoquo modo non paruerit, portione communi careat illa die, pane ſolummodo alendus, & aqua, vel aliter arbitrio Rectoris, & Conſiliariorum puniatur. Item ſi quis eorum celebrationi ad quam tenetur, de fuerit, ſolidi ſexdecim de proprio ſalario eidem pro qualibet vice ſubducantur, & alteri presbytero, qui ea die, vel poſtera; loco ipſius deficientis celebret, conferantur; qui ſi facile reperiri non poſſit, pauperibus pro anima D. Aegidij diſtribuantur; quod ſi prædictus Capellanus ob cauſam, quam iuſtam Rector exiſtimauerit fuerit impeditus, ipſi concedimus; vt paucos dies (qui tamen vnum menſem non excedant) poſſit per alterum æque idoneum in Sacello Sacra procurare. Aegrotanti verò Capellano volumus vſque ad tres menſes dumtaxat, neceſſaria prout Sodalibus ægrotantibus ſubminiſtrari. Vtque eo morbo durante, alter Capellanus eius loco ad miniſterium Sacelli ſufficiatur, expenſis Collegij, quo tempore elapſo, niſi conualeſceret, eſſetque morbus, chronicus vel ſi quis eorum morte, aut alio caſu, prorſus defecerit, ſtatim alius idoneus, & honeſtus deligatur à Rectore, & Conſiliarijs, ad quos prouiſio pertinet, & in loco deficientis collocetur, quod ſi forte idoneus breui reperiri non poſſit, curabit Rector ſuppleri defectum, per Sodales Presbyteros, vel externos ſalarium ipſius deficientis pro portione temporis, & ſeruitij capturos. Et ne cultus diuinus in Sacello aliqua ex parte minuatur. Sancimus, vt nullus ex Capellanis aliquod officium, aut Capellaniam habere poſſit, quibus dicti Sacelli miniſterium impediatur, & quod nec vniuerſitatis eſſe Rector, nec ipſius Vices gerere queat, alioquin protinus à Collegio expellatur, & alter idoneus ſubrogetur liceat autem huiuſmodi Capellanis Theologiæ, aut iuri Canonico ad ipſorum arbitrium operam nauare volentibus dummodo Sacelli miniſterio ſatisfaciant.

STA-

STATVTVM OCTAVVM.

Capellani quamdiu in Collegio permanere, à quo corrigi, & quibus ex causis à Collegio expelli debeant.

ITem Sancimus vt Cappellani legitimè semel admissi, nulli postea admitti cupienti cedere teneantur, possintque in Sacelli ministerio quamdiu voluerint permanere, dummodo officio suo bene, ac diligenter fungantur: quorum negligentiæ defectus, seù excessus à Rectore cum Consiliarijs corrigantur; neque tamen eorum nutu à Collegio repellantur nisi seditiosi, inutilesuè fuerint, vel alia iusta causa arbitrio Rectoris, & Consiliariorum, ac per D. Cardinalem Protectorem, seù Visitatorem approbanda, quem Visitatorem tunc, etiamsi fuerit extrà tempus Visitationis adiri volumus.

STATVTVM NONVM.

De officio à Sodalibus peragendo, pro D. Aegidij anima, & consanguineorum.

ITem quia Sodales tantum beneficium in Collegio accepturos gratos esse decet, monemus eos, & obtestamur, vt D. Aegidij tanti muneris authoris, & consanguineorum ipsius animas semper suis precibus Domino commendare meminerint. Et vt pro beneficijs his aliquid in domo domini pensionis offerant, quilibet sodalis pro animabus prædictis si Presbyter fuerit, Missam ter saltem singulis mensibus in Sacello Collegij debeat celebrare, hebdomodario Capellano, qui missam matutinam celebrauerit, ministrante, quem ad hoc teneri volumus, nisi plures essent Presbyteri Sodales, tunc enim volumus hebdomodarios ambos æquum ministrandi laborem subire. Pro qualibet autem Missa quam Sodalis Presbyter omiserit celebrare, mulctetur duobus Carolenis nisi fuerit legittimè impeditus, de quo debeat fidem facere Rectori, explicata causa, quæ si fuerit à Rectore probata, & acceptata tunc per alterum Presbyterum teneatur celebrare nisi forsitan ægrotaret. Qui Sodalis Presbyter singulis mensibus testimonio Capellanorum, à quibus fuerit in celebrando adiutus teneatur fidem facere Rectori, se officio celebrandi satis fecisse. Qui Presbyteri, & alij in Sacris ordinibus constituti, seù beneficium Ecclesiasticum obtinentes, breuiarium habeant, totumque Officium, vt iure tenentur dicant, & à Rectore ad id compellantur, cœteri verò Sodales Officium Beatæ Mariæ Virginis omninò habeant, illudque, vt quotidie (secundum consuetudinem Romanam) dicant, hortamur, ac vt septem Psalmos Pœnitentiales, cum suis

Litanijs, & orationibus semel singulis hebdomadis pro animabus D. Aegidij, & consanguineorum, nec non die, quo anniuersariæ exequiæ celebrantur, pro eius anima totum officium mortuorum ab omnibus Sodalibus recitari iubemus. Et qui neglexerit arbitrio Rectoris puniatur, & quod prætermiserit, recitare compellatur; ac de pœnitentialium psalmorum, & mortuorum officio, vnusquisque à Rectore requisitus, proprio iuramento fidem faciat, & Rector in die Natalis Christi Resurrectionis, & Assumptionis Beatæ Virginis, cum iuramento à singulis petere teneatur.

STATVTVM DECIMVM.

De audienda rè diuina mulcta deficientium, & distributionibus.

ITem statuimus quod Rector, & quilibet Sodalis singulis diebus non festis alterutram ex Missis audiat, festis autem solemnem Missam integram, aut certè statim post gloriam iusto impedimento cessante, de quo antè Missam, fidem Rectori faciat, & licentiam petat abeundi, alioquin pro cuiuslibet diei negligentia, portione priuetur. Item vt nemo vnquam intersit Missæ absque honesto pallio, seù veste sub eadem pœna, solo iussu Rectoris exequenda diebus porro dominicis, & festis supra commemoratis, eandem proponimus pœnam ijs, qui Missam principalem cum cantu in Sacello celebrandam vestibus talaribus, quibus per Vrbem incedunt, non audierint. Qui verò Missæ pacis, aut anniuersarijs de quibus supra diximus, ac Vesperis, & Missæ, quæ in Ecclesia Sancti Ioannis de Monte, pro anima D. Aegidij celebratur, non interfuerit arbitrio Rectoris mulctetur. Ipsos etiam hortamur, vt precibus matutinis, & vespertinis in Sacello dicendis, intersint, interquos idem sessionis ordo seruetur, qui in mensa seruari debet, habeatque vnusquisque tam Collegialium, quam Capellanorum, pro assistentia diuinorum Officiorum libras quatuor bononien. in toto anno ipsis ab Oeconomo soluendas.

STATVTVM VNDECIMVM.

Quibus temporibus Rector, & Collegiales confiteri, & communicare teneantur, & quod in Sacello ante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum nunquàm deficiat lumen, ac de eiusdem Custodia.

ITem quia timor domini initium est sapientiæ statuimus, vt quilibet Sodalium singulis annis peccata sua ter Parocho d. Domus, vel alteri Sacerdoti, ex approbatis, ab Ordinario confiteatur, videlicet in Natali, & Resurrectio-

rectione Domini,ac Virginis Mariæ Assumptione, & eisdem temporibus Corpus Domini in Sacello Collegij sumere teneatur. Quod si quis iusta causa impeditus tunc facere nequiuerit idem cum primum poterit, sumat. Quare sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Rectori præcipimus, vt in die Natalis, & Resurrectionis Domini, ac Beatæ Virginis Assumptionis, huius mandati contemptores portione panis, & vini, tàm diù mulctet donec in pertinacia persistant vsque ad octo dumtaxat dies, & si vltra in pertinacia processerint, à Rectore, & Consiliarijs moniti, pro prima vice, in vnum Mensem, pro secunda, in duos, pro tertia, prorsus à Collegio pellantur. Rector verò, quem summæ cupimus esse integritatis, quater in anno, ter scilicet cum cœteris Sodalibus, quarto in festo omnium Sanctorum ritè confiteatur, & communicet; alioquin prædictis pœnis subiaceat. Item quia in Collegij Capella seruatur, prout hactenus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, curabit Rector, vt ante ipsum nunquam deficiat lumen, & quod decenter custodiatur, cuius in hoc, & Capellanorum conscientiam oneramus.

SECVNDA DISTINCTIO.

VBI, cauetur de numero Sodalium, corpus Collegij constituentium, & de scientijs, quibus debent incumbere; De præsentatoribus, ipsorumque sodalium, præsentatione, ac de præsentatorum supplenda negligentia. De ætate, & qualitate, examine, iuramenti datione, & admissione præsentandorum.

STATVTVM PRIMVM.

Quot Sodales esse debeant, & de facultatibus quibus debent incumbere, ac de his non confundendis, aut transmutandis.

VOlentes insuper prædictam eiusdem D. Aegidij voluntatem, prout conuenit adimpleri, statuimus, & sancimus: vt Collegium constet ex triginta, & vno Collegialibus, quorum decem Sac. Theologiam, viginti, & vnus Sacros Canones Profiteantur, præcipientes ne facultates prædictæ aliquo modo confundantur, vt ad locum Theologiæ alterquam Theologus, & ad locum Iuris Canonici alterquam Canonista nullatenus admittatur. Quod si non reperiantur ex facultate requisita, possit Theologus in locum Canonistæ, & è contra præsentari, nec ad aliquam facultatem semel ad missus aliam

profiteri possit, nec vllo modo se transferre prætestu cuiusuis dispensationis, sed diligenter incumbat in eam scientiam, ad quam fuerit admissus. Permitimus tamen, quod principaliter in cumbendo scientiæ ad quam admittitur, ad facilierum eius intelligentiam alteri quam voluerit facultati vacare possit.

STATVTVM SECVNDVM.

Quæ Ecclesiæ, & quot singulæ Scholasticos, & vnde debeant præsentare.

ITem quia dicti D. Aegidij Albernotij cum hanc domum, & Collegium condere cogitaret, atque dotare propositum fuit, suorum, hoc est Hispanorum commoditatibus erga studia literarum consulere, quippe studiorum in Hispania, & ea memoria minima, & ad eam vsque ætatem parua fuerat occasio, propter bella, quæ Christiani, cum Mahumetanis continenter gerebant, & varias calamitates ab illis acceptas, idcircò Nos voluntatem eius sequentes Sancimus, vt nullus nisi ex Hispania in Collegium admittatur (Hispaniam more veterum intelligentes, quicquid Pyreneis montibus, & vtroq; mari clauditur) & ex illis Hispaniæ Ciuitatibus, & Diocesibus, vbi D. ipse Aegidius aliquando obtinuit Ecclesiastica beneficia; Scilicet ex Ciuitate, & Dioecesi Toletana cuius ipse fuit Archiepiscopus quatuor, quorum duo Sacram Theologiam, duo ius Canonicum profiteantur; de Hispalensi vbi Archidiaconus fuit Nieblæ tres, quorum vnus Theologiam, duo ius Canonicum; ex Conchensi, vbi primum habuit beneficium, & Moiæ fuit Archidiaconus, quatuor duo ad Theologiam, duo ad ius Canonicum deligantur; ex Cæsaraugustana, vbi fuit educatus, & multa obtinuit beneficia, & tunc erat Archidiaconus Darochæ, tres, vnus ad Theologiam ad Canones duo, ex Abulensi vbi erat Archidiaconus Areuali, duo, alter ad Theologiam alter ad ius Canonicum: Ex Salmanticensi vbi Archidiaconatum ledesmæ obtinebat, duo, vnus ad Theologiam, alter ad ius Canonicum: Ex Burgensi vbi Abbas erat Castri Xeritij, duo, alter ad Theologiam alter ad ius Canonicum; Ex Cordubensi vnus ad Theologiam; Ex Compostellana vbi erat Canonicus; Ex Legionensi vbi erat Archidiaconus Valderæ; Ex Pallentina; Ex Oxomensi, Saguntina; Vlissiponensi, Ouetensi, inquibus nonnullas habuit dignitates, singuli ad ius Canonicum ad mittantur, & vnus ex Aegidij Albornotij familia, duoque à Principe eiusdem familiæ præsentandi.

STA-

STATVTVM TERTIVM.

Quomodo Præsules, & Ecclesiæ debeant, & vnde præsentare.

ITem statuimus, & Sancimus, vt Præsules, & Capitula Ecclesiarum superius descriptarum coniunctim, vel diuisim ius perpetuum habeant prædictos Scholasticos, per se præsentandi: datis literis (has titulos appellare solemus) quas Ecclesiæ per Decanum, aut si absens is fuerit, per principalem ex dignitatibus, & duos saltem Canonicos subscribant, & per publicum notarium apposito sigillo capitulari, vt moris est, literæ verò Prælati manu ipsius, & ab eiusdem Secretario subscribantur. Quando tamen Præsules extrà fines suarum Diocesum, vel plusquam inter vnius diei à suis Ecclesijs abfuerint, tunc ipsorum Vicarij generales ad audiendum causas in dictis Ecclesijs constituti, vice ipsorum Præsulum absentium ius habeant huiusmodi Scholasticos præsentandi fiatque saltem in literis Vicarij mentio priuata de huiusmodi absentia, aliàs literæ nullius pænitus sint momenti. Et vt in his partibus remotissimis aliqua de ipsis Scholasticis notitia possit haberi, placet, vt in literis tam Capitulorum, quam Præsulis de nominibus, & cognominibus cuiuslibet de cœtero præsentandi, vtriusque etiam parentis, ac de loco, & Diocesi habitationis ipsorum specialis, & expressa fiat mentio alioquin præsentatio per subreptionem, & fraudem obtenta habeatur, ac nullius sit momenti. Ipsos autem Præsentatores monemus, vt ex Ciuitatibus suis, aut Diocesibus Scholasticos præsentent: qui si se non obtulerint, vel quæsiti non inueniantur possint in defectum, idoneos Scholasticos (ne loca ipsorum in Collegio vacent) aliundè præsentare; ex eo tamen Regno, in quo sita est Ecclesia, cuius nomine præsentant, hoc est Cæsaraugustana; ex Aragoniæ, Vlis Siponensis ex Portugalliæ, reliquæ ex Castellæ Regnis latè sumpto vocabulo; vt intelligatur etiam Toletana Regio, Bœticaq; dummodo ex quaq; Ciuitate; seù Diocesi ex ijs, ad quarum Ecclesias nulla pertinet præsentatio, plusquam tres simul; & eodem tempore in Collegio esse non possint, nisi tanta esset Sodalium penuria, vt à Rectore, & Consiliarijs esset præsentatorum supplenda negligentia eosdem Præsentatores itidem hortamur; vt Scholasticos, quos præsentes delegerint, curent in facultatibus ad quas deliguntur, examinare, in quibus annis quinque, vel saltem quatuor studuisse debent in generali aliquo gymnasio, & Bacalaureatus gradum suscepisse.

STATVTVM QVARTVM.

Quot Scholasticos, quomodo, & vnde optimates Gentis Albornotiæ præsentare possint.

ITem statuimus, vt duo Scholastici ex Regno Castellæ vt, supra intellectæ, ius Canonicum professuri à Proceribus gentis Albornotiæ ad Collegium perpetuò iure præsentari possint; quorum alter à Principe Albornotiæ familię, idest ab eo, qui Patrimonium eiusdem familiæ, aut præcipuam partem (quem Maioricatum vulgò dicunt) cum nomine familiæ retinebit siuè per masculinam lineam, siuè per fœmininam descendat: alter verò per eum, qui erit Præsul ex eadem familia, Præsulem intelligendo Episcopum, & Superiores, inter quos si plures fuerint; primum descendens per lineam masculinam, deindè superior dignitate, & inter æquales antiquior consecratione in præsentandi iure præferatur; fiatq; in eorum literis de nominibus, & cognominibus cuiuslibet præsentandi, vtriusq; etiam parentis illius, ac de loco, & Diocesi habitationis ipsorum expressa mentio, aliàs literæ nullius pœnitus sint momenti. Quod si Præsulem à sua Ecclesia vltra vnam dietam (hoc est iter vnius diei) vel extra finem propriæ Diœcesis, aut Principem familiæ à sua sede abesse contingat: tunc eorum Vicarij generalis (vt supra dictum est) possint præsentare; si verò alteruter pænitus deficeret, aut in partibus ageret valdè remotus (velut Vltramarinis) siuè captiuitate, vel simili casu detentus non dimisso Vicario, tunc alter in alterius deficientis locum in præsentandi iure succedat; si tamen (quod absit) vterq; Præsentator omninò deficeret, aut in locis remotissimis, non dimissis Vicarijs, abesset, tunc Presules Ecclesiæ Toletanæ, ac Conchensis in præsentandi iure succedant; fiatq; in omnibus supradictis casibus specialis, & expressa mentio de huiusmodi absentia, vel defectu alias præsentatio censeatur per subreptionem, & fraudem obtentã, & si contingeret per vtrumq; præsentatos concurrere præsentatus per Patronum ipsum præferatur ille qui ab ipsius Vicegerente fuerit præsentatus, sed si præsentatus per Vicemgerentem fuerit iam admissus, nemini eum cedere volumus, fiat tamen cum aduentante, vt in simili casu infra cauetur. Qui omnes supradicti Sodales numero sint triginta, & vnus, Corpus Collegij, vt supra dictum est Constituentes.

STA-

STATVTVM QVINTVM.

Quot Sodales ex Albornotia familia posſint eſſe in Collegio, & à quo præſentari.

ITem ſtatuimus, vt vno ex Albornotia familia Aegidijq; progenie per maſculinam, vel fœmininam lineam legitimè in Collegium admiſſo, etiam alter admitti poſſit à Principe familiæ Albornotiæ, vel in eius defectu à Præſule, vt ſupra dictum eſt, præſentatus, quem volumus ad Collegium admitti in locum vacantem eius facultatis ad quam fuerit præſentatus; quin etiam ſi locus nullus vacaret vnus talis, nec plures, (etiam vltra numerum triginta, & vnius Sodalium) in Collegium admittatur; ità demum vt plures quam duo ex Albornotia familia modo aliquo, vel tempore in Collegio ſimul eſſe non poſſint: qui omninò ſubijciantur, pareantq; Rectori, nullam prerogatiuam, aut priuilegium præ alijs Sodalibus deinceps habituri; vt ſeditiones tollantur, quarum magnam eſſe in huiuſmodi prærogatiuis occaſione, res ipſa non ſemel declarauit.

STATVTVM SEXTVM.

Quis ex pluribus præſentatis cæteris præferri debeat.

ITem quia Præſentatores quamplures etiam externos (hoc eſt) à ſuis Ciuitatibus, & Diœceſibus alienos frequenter ad vnum locum etiam antequam vacet præſentare conſueuerunt, vnde dubia, & lites oriri, atque ipſis Scholaſticis damna non modica prouenire ſolent id circo ſtatuimus, vt ſi ex pluribus, ità præſentatis aliquis in locum vacantem fuerit admiſſus, nulli poſtmodum venienti cedere teneatur quamuis literas præſentatitias afferat, prius datas, & de legitimo impedimento docere velit. Si verò locus nondum vacaret is in aſſecutione eiuſdem loci, cum vacauerit, ſi alias idoneus fuerit, præferatur, qui prius titulos, ſuaſq; probationes legitimas, prout infrà cauetur, Rectori, & Conſiliarijs perſe ipſum exhibuerit, ac poſtea Bononiæ remanſerit, & circa ſtudium, mores, ac vitam honeſtè ſe, & cum laude geſſerit, alioquin præſentatio prædicta nullius pœnitus ſit momenti, nec per eam alicui poſtmodum venienti. Volumus præiudicium aliquod generari. Si tamen ipſum oporteret pro ſuis, vel alterius cuiuslibet negocijs abeſſe, liceat ei ad quatuor, dumtaxat menſes, idque voluntate ſiuè licentia Rectoris, & maioris partis Conſiliariorum, quo tempore durante nullus admittatur, qui ſi diutius abfuerit, &

rit, & ante reditum eius alius ad eumdem locum præsentatus in eo fuerit admissus, is ipsi redeunti nullo modo cedere teneatur; literæ tamen illius, quo ad eumdem locum, vel ad alium eiusdem facultatis, & ad eosdem Præsentatores pertinentem, quando vacauerit, viribus non careant; Si verò re integra redierit ipse rediens præferatur in assecutione prædicti loci vacantis posterioribus tempore datarum, literarum; Et ne recedens ille possit pretendere ignorantiam; Rector, & Consiliarij licentiam petentem de supradictis certiorem faciant, alioquin dicta receptio etiam extrà præscriptum terminum redeunti, ne officiat, & nullius pœnitus sit momenti. Item statuimus, vt si plures concurrant in exhibendo titulos suos ad eumdem locum vacantem, vel vacaturum; tunc cuius literæ prius datæ fuerint, is, si aliàs idoneus fuerit, in assecutione loci vacantis, aut vacaturi præferatur; Sin autem plurium literæ fuissent datæ eodem die, tunc Ciuis, vel Diœcesanus externis præferri debet. Quod si hoc casu Ciuis, seù Diœcesanus inter se, aut externi similiter inter se concurrant, tunc Rector, & Consiliarij optimum quemque, & maxime idoneum in locum vacantem, vel cum vacauerit admittant; in quo stetur iudicio maioris partis Collegij. Dies porro datarum literarum, vt ambiguitates tollantur) considerari placet, quoad titulos dumtaxat Ecclesiarum, non etiam Præsulum, qui quotidie transferuntur, aut mutantur.

STATVTVM SEPTIMVM.

Quemadmodum Rector, & Consiliarij teneantur admonere Præsentatores vt præsentent, ac alia facere locis in Collegio vacantibus.

ITem statuimus, quod si Præsentatores, tam negligentes fuerint, vt simul in Collegio vndecim præbendas, siuè loca vacare contingat (nisi Collegium tantà premeretur inopia, vt commodè; plusquam viginti Sodales alere non posset Rector, & Consiliarij sub pœna decem librarum bononiensium ipsorum singulis imminente teneantur omninò per duplicatas (si opus fuerit) literas sigillo Collegij obsignatas Præsentatorum singulos monere, ac per Deum obtestari, vt ad loca sic vacantia Scholasticos idoneos præsentare maturent; quas literas negociorum Gestor dicti Collegij Matriti residens ad Præsentatores præfatos diriget, & earum authenticum responsum, vel saltem præsentationis publicum exiget Instrumentum, Collegio quamcitissimè transmittendum. Et quia summè cupimus, nullum locum quoad fieri possit in Collegio vacare Rectori, & Consiliarijs sub eadem pœna præcipimus, vt munus suum ineuntes, hoc est in mense Maij inspectis locis, siuè Præbendis tunc vacantibus, aut infra annum omninò vacaturis, quam commodissimè poterunt

runt literas sigillo obsignatas ad Præsentatores mittant, quibus ipsorum singulos admoneant, vt personas idoneas præsentent ad loca sic vacantia, ac etiam per literas huiusmodi locorum vacationem enunciandam curent, in Salamanticensi, & Vallisoletana, ac Complutensi, & alijs Hispaniæ Gymnasijs, locis, & personis vbi, & quibus eis visum fuerit expedire.

STATVTVM OCTAVVM.

De supplenda negligentia præsentatorum per Collegium.

ITem statuimus, vt Præsentatoribus sic admonitis, & prædictæ monitionis habita per publicum Instrumentum fide, expectentur Scholastici præsentandi, octo dumtaxat mensibus à die admonitionis; quibus peractis possit Collegium alium, vel alios idoneos, & tales quales per Præsentatores essent mittendi in locis sic vacantibus collocare; Et si aliquo sic admisso, alter applicuerit, qui ad locum illum per aliquem ex Præsentatoribus mittebatur, huic cedere admissus non teneatur, sed si aduentans, intrà prædictos octo menses fuerit præsentatus, & se legitimè impeditum quominus intrà dictum temporis spatium venire posset, legitimè probauerit ei extrà Collegium Bononiæ literis operam dare volenti (si Collegium abundauerit) aliquid prout Rectori, & Consiliarijs videbitur suggeratur. Qui si doctrinæ quam profitetur diligenter incubuerit, seque vita, & moribus præbuerit commendabilem; præcipimus ipsum admitti ad primum locum vacantem in ea facultate, ad quem præsentandi ius fuerit ad Collegium propter Præsentatorum negligentiam deuolutum. Si fortè tamen post prædictos octo menses aliqui à Præsentatoribus præsentati Bononiam peruenerint locis adhuc vacantibus: Volumus eos (non obstante mora Præsentatorum, si aliàs sint idonei) in Collegium recipi, & in locis suis vacantibus collocari; Alijs verò venientibus posteà ad requisitionem fortassis Collegij ne se consequerantur esse delusos, prouideatur quemadmodum supra in simili casu, hoc statuto cauetur. Prætereà si Præsentatores neminem mittere curauerint, & Collegium, vt prædicitur. Hispanos idoneos inuenire nequiuerit ex his locis Hispaniæ vnde admitti eos oportere. Supra cautum est, & Collegialium numerus adeò decreuisset, vt ad septem, vel octo esset redactus, nec foret spes propediem de Hispanis prædictis numerum augeri statuimus, vt Collegium alios etiam Hispanos quocumque loco Hispaniæ ortos ad loca vacantia possit, & teneatur admittere, dummodo numerus hac ratione admissorum numerum eorum, qui alias legitimè fuerint admissi non excedat. Alios autem, quam Hispanos admitti nulla ratione, seù necessitate permittimus Hispaniam verò more veterum

C intel-

intelligentes quicquid Pyreneis montibus, & vtroque Mari continetur.

STATVTVM NONVM.

De ætate, & qualitate ad Collegium admittendorum, & qua disciplina instructi esse debeant.

Item statuimus, vt ad Collegium admittendi sint ante omnia ex vtroque parente antiqui Christiani (intelligendo antiquum Christianum prout in Hispania intelligi consueuit) idest, vt nulla memoria, nec publica fama extet ipsos, aut ipsorum aliquem genus aliqua ex parte ducere à Iudeis, Hæreticis, Reconciliatis, Maumeteis, seù Neophytis; nati ex legitimo matrimonio, & saltem vigesimum primum, suæ ætatis annum attingant; nec ità diuites, vt cuiusque eorum reditus, & prouentus de quibuscumque bonis quomodolibet obuenientibus summam centum, & quinquaginta aureorum Bononiam allatorum excedant, diuitiæ tamen paternæ quantumcumque magnæ filio ad hoc impedimento ne sint; Qui si fuerint ex Canonistis alterutri iuri; Si verò ex Theologis, artibus Philosophiæ, & Theologiæ (postquam grammatica fuerint imbuti) in aliqua vniuersitatis generalis studij per quinquennium, vel saltem quadriennium operam dederint, & Bacalaureatus gradum susceperint. De quibus omnibus, & singulis vnusquisque ante sui ad Collegium admissionem fidem omninò facere teneatur per publicum instrumentum prout in forma communi in fine horum statutorum ponenda, ac pro statuto in omnibus, & per omnia obseruanda plenius, & distinctius continetur. Præterea Sancimus, vt nullus, qui fuerit, vel sit Monachus frater religiosus, Canonicus regularis. Seù aliquam religionem professus, siuè morbo contagioso, sicuti lepra, gallico, aut alio horribili, veluti comitiali laborans, nec non coniugatus, nemò etiam qui minus ingenuè vixerit, vel aliquam vilem artem exercuerit, aut in abiecto ministerio cuiquam sit famulatus, vel alterius Collegij famulus siuè familiaris, postremò cuius pater, frater, patruus, aut auunculus, siuè fratris, aut sororis filius sit in hoc Collegio, nec is, vllo modo ad Collegium admittatur.

STATVTVM DECIMVM.

De admittendorum in Collegium erga vitam, mores, ac docilitatem examinatione.

Item statuimus, vt cum primum Præsentatus ad Collegium accesserit, & suos titulos præsentauerit Rector causam ad omnes Collegiales ritè congrega-

gregatos referat, & si quis eorum aliquod impedimentum sciuerit, quare illi admitti non debeat, id teneatur sub pœna periurij enunciare ac de hoc legitimam fidem facere, posteà verò antequam dictus Præsentatus admittatur per triginta dies Bononiæ commoretur intra quos Rector, & Collegiales probationes examinare easque approbare, vel reprobare debeant, & si nullum impedimentum appareat admissio celebretur, eiq; Coram omnibus Collegialibus in sua facultate puncta assignentur, super quibus die sequenti eadem hora lectionem coram toto Collegio legere teneatur, & Collegialibus argumentantibus respondere omnes tamen argumentari debeant, qui fuerint eiusdem facultatis; Et si admittendus iuxtà statuta idoneus, ac benè, & honestè vixisse reperiatur per Rectorem, & Collegiales (maiore saltem eorum parte consentiente) præmisso iuramento, se, nec amore, vel odio, amicitia, consanguinitate siuè affinitate, seù alia quauis de causa, suffragia sua præstituros per fabas albas, & nigras dijudicetur; debeat nec ne talis Præsentatus in Collegium admitti. Quibus Rectori, & Collegialibus, ne dicta suffragia admittendo, aut alteri eius loco promittant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ à qua non possint absolui, nisi à Summo Pontifice prohibemus. Semper tamen in præsentationis admissione, seù concessione nouæ præsentationis, & in approbatione, vel reprobatione probationum, & in punctorum assignatione; Notarius, & Testes adhibeantur. Volumus autem, quod si Præsentatus ab Ecclesijs Principe, vel Præsulæ Albornotiæ domus per Rectorem, & Collegium minus idoneus, aut inhabilis fuerit iudicatus, sub cuiusq; defectus prætextu possit, ad D. Cardinalem Protectorem reclamare. Vt per eum grauamen, & si quod fuerit iustitia mediante reparetur, cui tam in hoc casu, quam in alijs nullam concedimus dispensandi super statutis facultatem.

STATVTVM VNDECIMVM.

De formula iuramenti, quod præstare debent Præsentati antequam admittantur, & de ipsorum admissione.

ITem statuimus, vt quilibet ad Collegium assumendus postquam examinatus fuerit de doctrina, habilitate, ac omnibus, alijs, prout superius est expressum, antequam ad Collegium assumatur iuret, in manibus Rectoris tactis Sacrosanctis Euangelijs præsentibus Consiliarijs; aut ipsorum maiore parte notario, & testibus se omnia statuta Collegij edita, & edenda inviolabiliter obseruaturum, atq; edita intra tres menses à die suæ admissionis in Collegium perlecturum, eorum abrogationem, seù mutationem nunquam per se, vel per alium vllo modo curaturum, neque requisitum consensurum iura,

& priuilegia Collegij defensurum, & quamdiu in ipso Collegio manebit; quam optimè, ac citissimè poterit bona fide Collegio omnia quæ sciuerit, grauiter ipsi nocitura remotis omnibus, amicitia, odio, consanguinitate affinitate, gratia, vel fauore cuiuslibet indicaturum: secreta ipsius Collegij nullo modo cuiquam extrà Collegium enunciaturum, & ipsi Rectori reuerentiam, seù obseruantiam, & obedientiam in licitis, & honestis, vt statutis cauetur præstiturum. Et postquam à Collegio discesserit, neque contra ipsum, neque contra posteros, & consanguineos D. Aegidij Albornotij, nec contra ipsorum dignitatem, aut commoda per se, vel per alium quicquam moliturum, aut conaturum, nec in damnum ipsorum alicui consilium, auxilium, patrocinium, vel fauorem præstiturum, nisi iura Collegij suorum, vel sua prosequendo, & quotiescumque constiterit sibi de aliquo dolo, fraude, seù falsitate suorum titulorum, vel probationum, non anteà ex Vrbe Bononia discessurum quam ipsi Collegio plenè satisfaciat, quæ ab eo receperit. Et sinè aliqua contradictione, dilationeuè locum dimissurum expeditum; Iurabit etiam se illi scientiæ ad quam se admitti petit, iugiter, & constanter operam daturum, nec ad aliam se transferre curaturum sub pœnis infrà circa hoc in statutis contentis; Et huiusmodi præstito iuramento ad Collegium assumatur, ac iuramentum hoc, & admissio, ad quam præbendam, & à quibus fuerit admissus per prædictum notarium, cum die, mense, & anno in scripturam authenticam redigatur, & per Rectorem etiam in libro ad hoc destinato omnia ista scribantur.

STATVTVM DVODECIMVM.

Quomodo Perquisitor in Hispaniam mitti debeat, & quomodo suum munus obire.

ITem statuimus, vt quoties numerus Sodalium ad decem ascenderit, de quibus, seù eorum titulis, ac probationibus per ipsos allatis, nulla per Collegium inquisitio in Hispania facta fuerit; possit Collegium cuicumque Collegiali præsenti, vel absenti (habenti tamen secundas probationes) committere, vt eorum secundas probationes faciat cuius electio per secreta suffragia totius Collegij, quæ si forte paria fuerint ad sortem res reuocetur, qua electione sic facta commissio, hæc à nullo possit recusari, nisi graues inimicitias cum eo intercessisse saltem tribus testibus legittimè coram Rectore probauerit; tunc enim probationes illius alteri committi præcipimus. Sic tamen electus ad omnia loca vbi primæ probationes confectæ fuerint cum ipsis originalibus vadat (dimissis copijs authenticis in capsa Collegij) expensis eorum, quorum probationes fuerint, ad diligenter inquirendum, & fideliter indagandum veri-

rita-

ritatem earum, & omnium quorumcumque in ipsis contentorum ipseque per se Testes in ijs contentos ratificet, & postea denuò quinque Testes quales inferius in forma communi in fine horum statutorum ponenda dicemus super ijsdem articulis recipiat, & si nihil contrarium inuenerit, probationem claudat, & in fine suam dicat sententiam; iurando qualiter debitis diligentijs factis, nihil in contrarium inuenerit. Verum si aliquis Testium de aliqua inhabilitate deponat, aut quicquam fraudis, siuè doli circa aliquod de contentis in ipsis instrumentis, vel de requisitis supra in statuto nono huius secundæ distinctionis, inuenerit, debeat super hoc plures Testes recipere quos magis idoneos in illo loco, & maioris fidei inuenire poterit, eorumq; depositiones in scripturam redigat, & simul cum probationibus statim cum applicuerit ad Collegium coram Notario, & Testibus Rectori, & Consiliarijs exhibeat. Quibus ita præsentatis Collegium statim eas approbare, vel reprobare teneatur, & post approbationem detur priuilegium dari solitum. Si verò propter negligentiam, aut incuriam Nuntij non fuerint absolutè perfectæ itaut statim approbari, vel reprobari possint, earum salarium perdat, vel de nouo proprijs expensis eas facere teneatur. Si tamen aliquis Sodalis reperiatur inhabilis, vel conuictus fuerit de aliqua fraude, dolo, seù falsitate circa probationes, vel titulos per ipsum adductos data ei copia articuli inhabilitatis, seù doli probati, subscripta à Rectore, & Consiliarijs sit eo ipso, omni iure, & commodo Collegij priuatus, etiam si citatio parentùm, vel consanguineorum in tali probatione non interuenerit, ac omnes expensas, & commoda, quæ à Collegio acceperit, expensas etiam Nuntij. Continuò restituere compellatur, & in vinculis custodiatur, quousq; satisfecerit. Nuntius verò si in his doli, aut falsi fuerit conuictus pœna talionis puniatur, & sit perpetuò infamis, expensasque Collegio restituere compellatur vltra centum librarum, pœnam quam incurrat ipso facto, quarum quinquaginta Collegio, & quinquaginta Collegiali cum omnibus honoribus restituendo applicentur. Volumus autem, vt talis Nuntius mittendus, antequam discedat fideiussorem præstet idoneum se Collegium indemne seruaturum, Si sibi commissa fideliter, & cum effectu intra vnius anni spatium non adimpleuerit, ac dictas probationes coram Rectore, & Consiliarijs per se, aut per Procuratorem si fuerit impeditus non præsentauerit habeatque, pro singulis probationibus libras ducentas bononienses: ex quibus pars tertia, vel dimidia post prædictam cautionem antè discessum solui possit; reliquum verò non aliter, nisi omnibus probationibus absolutis, & vt diximus coram Rectore, & Consiliarijs præsentatis.

TER-

TERTIA DISTINCTIO.

IN qua de Cubiculorum ipsorumque suppellectilis attributione de victu, vestitu, & subsidio tum Communi Collegialium, tum eorum, qui Doctores efficientur, nec non de exercitio literario, & quamdiù liceat in Collegio Comorari, ac quamdiù per id tempus abesse tractatur.

STATVTVM PRIMVM.

De consignatione Cubiculorum, & supellectilis, ac de ipsorum ratione reddenda, & de visitatione à Rectore facienda.

COllegialium in Collegium admissorum commoditati prouidere cupientes; Statuimus, vt vnusquisq; illorum postquam legitimè fuerit admissus optimum cubiculum ex ijs, quæ tunc temporis vacabunt possit eligere, & Oeconomus illud ipsi vt infrà dicetur, continuò debeat consignare; Erunt autem cubicula singula his rebus Collegij expensis instructa lecto scilicet, qui constet idoneo fulcro, duabus Cultricis laneis, duabus stragulis stupeis, vel laneis, vno paleario ex palea, vel pluma facto, & vno Ceruicali laneo, vel plumeo, cum quatuor Sindonibus. Item vna Capsa cum sua Claue, & statutis Collegij, vna mensa cum suis pedibus, & repositorijs ad vestium, & librorum conseruationem, ac etiam vno tripode, & alijs tabulis ad studium necessarijs cubiculum itaque, vt præfertur instructum Oeconomus de ordine Rectoris ipsi Collegiali consignabit. Sed antequam ei prædictam supellectilem tradat inuentarium in libro ad hoc confecto coram Testibus, & eodem Collegiali faciat, cui præfatus Collegialis manu sua subscribet, ac prædicta omnia ad suum vsum recepisse per scripturam huiusmodi confitebitur. Qui si de Collegio discedere voluerit, animo non redeundi omnia supradicta sibi consignata teneatur Oeconomo restituere, & de eis rationem reddere plenam. Statuimus eiam quod nullus sub pœna periurij audeat quoquo modo quicquam ex sibi consignatis in cubiculo inde amouere, permutare pignorare, seù ad alium locum transferre, nisi Collegiales cubiculum mutare, aut ad possessiones ire contigerit, nam tunc in primo casu omnia secum deferre poterit; in secundo verò duo tantum lintea cum lodice, si hæc à Collegij socijs, non valeant commodari. Volentes, vt omnia quæ sic in suum vsum, quis receperit teneatur diligenter, & fideliter custodire, alioquin si quid ex eis sua culpa fuerit amissum, resarcire de suo compellatur, quod si dolo vel fraude forsi-

forsitan illius perierit, vltra satisfactionem prædictam prouisione vnius anni, sit ipso iure priuatus; Linteaq; saltem semel in mense lauanda curabit sub pœna decem solidorum, pro qualibet vice de ipsius prouisione retinendorum. Rector autem cum Oeconomo bis in anno, nempe in principio mensis Maij, & Nouembris reuideat omnia cubicula etiam Capellanorum, ac famulorum, & requirat an ibi sint omnia consignata, ac si opus fuerit renouatione, aut restauratione aliquorum prouideat.

STATVTVM SECVNDVM.

De Cubiculorum distributione.

ITem ne contentiones, & rixæ propter cubiculorum optionem, seù permutationem existant, duximus declarandum, quod cubiculum superius positum in angulo ad sinistram intrantibus bibliothecam cum sua supellectili, & alterum interius vbi lectus esse consueuit. Sint semper Rectoris donec in officio permanebit; reliqua tam superiora, quam inferiora communia sint Cæteris Collegialibus, sine facultatum discrimine, ab ipsi prout in statuto proximo cauetur optanda.

STATVTVM TERTIVM.

De Cubiculorum mutationibus non faciendis, & eorum cum vacauerint electione.

ITem statuimus, & omnibus prohibemus sub pœna priuationis totius prouisionis, quandiù fuerint contumaces; ne mutationes, vel optiones faciant cubiculorum authoritate propria, sed eo quisq; contentus sit, quod sibi iure statutorum obuenerit, & Rector completo anno sui officij redeat ex cubiculo Rectoris ad suum pristinum nisi alterum interim optauerit. Erit autem hæc optandi ratio; cum aliquod cubiculum vacare contigerit (quod eueniet, vel propter vacationem præbendæ, vel propter non legitimam absentiam) Rector intra triduum Collegialibus ritè congregatis optionem eius cubiculi proponet sitque ius optandi, primum ipsius Rectoris deinde prout quisque antiquissimus fuerit in Collegio nulla facultatis, dignitatis, aut gradus habita ratione, nisi quis forte contagioso morbo laboraret. Hunc enim nolumus à suo cubiculo commigrare, declarantes posse hanc optionem etiam ab absentibus fieri per suos legitimos procuratores. Quod si Rector intra triduum cubi-

cubiculum vacuum non proposuerit is, qui antiquior fuerit ex illis, qui optionem facere volent possit quarto die optionem in triclinio publicè facere post prandium,& Rector illi consignationem facere modis omnibus teneatur.

STATVTVM QVARTVM.

De portione cibi quotidiani, & eius extraordinario.

ITem statuimus, vt quilibet in Collegio tam Rectori, quam Collegialibus, & Capellanis in Collegio præsentibus duæ libræ bonarum carnium vitulinarum, die quolibet, quo carnium esus non est prohibitus ministrentur cum ferculo (vulgo minestra) competenti prout Rector duxerit ordinandum,& pro ciborum condimentis ac fructibus, seù vellarijs in singulos Collegiales poterit expendi vsque ad quinque solidos: de vino autem, & pane habeant in prandio, & in cœna quantum opus fuerit, & eorum conueniat honestati diebus porro ieiuniorum, & alijs quibus esus carnium prohibetur in ouis, vel piscibus pro cuiuslibet portione tantum expendatur quantum fuisset in carnibus expendendum: addita insuper singulis portionibus dimidia parte prætij portionis carnis, & si quis ex deuotione ieiunare voluerit, tota illius diei portione in prandio fruatur prohibentes tamen, vt nulli portio detur in pecunia, nisi prout expresse statutis cauetur. Et vt maiores festiuitates maiori celebrentur hilaritate. Volumus quod tribus diebus singularum festiuitatum Natalis Domini Resurrectionis, & Pentecostes, ac diebus Circumcisionis,Epiphaniæ, Ascensionis, Corporis Domini, Beatorum Petri, & Pauli, Beati Clementis Papæ, & Martyris, & ipso die carnis priuij singulis Collegialibus, præter ordinariam portionem singuli apponantur, vel pulli, vel columbini, aut dimidium gallinæ, seù caponis eorum quos Collegium ex possessionibus percipere consueuit, vel ex emptis si in dictis possessionibus non extarent. In cæteris autem festiuitatibus, & diebus relatis statuto quarto, & quinto primæ distinctionis quibus Missa decantatur aliquid ad portionem quotidianam, iuxta Rectoris arbitrium (moderatè tamen ita vt valorem nouem vnciarum carnium non excedat) addatur. Et Collegialis, qui aliquo dictorum dierum Missæ in Capella Collegij, per cantum celebrandæ non interfuerit; Saltem antè Epistolæ lectionem, vino illius prandij careat, qui autem ante Euangelij lectionem non ad fuerit, addito præterea priuetur, familiaribus tamen, & alijs Collegij Ministris de carnibus, ouis, vel piscibus detur dimidium portionis supradictæ, ac panis, & vini familiæ, quod fuerit necessarium arbitrio Rectoris, & Oeconomi præter salarium singulis dari solitum, seù Conuentum; Socijs verò Collegij aliquid ad ipsum afferentibus, vel ob

res

res ipſius venientibus refectiuncula eis Bononiæ communiter dari ſolita miniſtretur.

STATVTVM QVINTVM.

De hora prandij, & cœnæ pulſatione campanæ, benedictione menſæ, & gratiarum actione.

ITem ſtatuimus, vt omnes Collegiales, & Capellani ſono campanæ vocentur ad prandium, (clauſa ianua exteriori Collegij,) & ad cœnam hora competenti infra dicenda, & campana pulſata, omnes ſinè mora (itaut in principio benedictionis interſint,) & cum veſte honeſta conueniant in triclinium, & tunc poſtquam cibus aliquis fuerit allatus vnus Capellanorum, ſeruato hæbdomadarum ordine, alijs reſpondentibus menſæ benedicat in principio iuxtà formam Ritualis Eccleſiæ Romanæ, menſaq; expleta. Deo gratias agat, & in fine actionis gratiarum tam in prandio, quam in cœna commemorationem nominatim pro anima D. Aegidij faciat, dicens Requiem æternam, cum pſalmo Laudate Dominum. In diebus verò Ieiunij cum pſalmo Miſerere mei Deus, & oratione, Deus, qui inter Apoſtolicos &c. Item ſi quis ante gratiarum actionem abſq; Rectoris licentia, de triclinio receſſerit die poſtero pane, & aqua coram omnibus publicè in prima menſa faciat pœnitentiam. Si quis vero Collegialis, finita benedictione; Sed antequam cœteri diſcumbant, in triclinium intrauerit, vel Capellanus benedictioni defuerit, vino tantum ea vice priuetur; Sin autem iam cœteris diſcumbentibus intrauerit tota portione priuetur illius prandij, vel cœnæ. Si quis autem docendo aut rebus Collegij, vel aliquo ſuo vrgenti negotio (cuius fidem Rectori faciat) eſſet occupatus, quominus tempore poſſet ad primam menſam venire, liceat ei in ſecunda cibum ſumere; Sed ſi nulla tali cauſa primæ Menſæ defuerit (præter panem, & vinum) Cœtera portione priuetur. Erit autem hora prandij, poſt finitam miſſam ſecundam circa meridiem; Cœnæ verò à principio ſtudij vſq; ad Quadrageſimam ſtatim poſt tertiam horam noctis; deinde per totum annum ſtatim poſt vigeſimam ſecundam horam diei à calendis tamen ſeptembris vſque ad principium ſtudij, ac diebus Quadrageſimæ, & alijs quibus ieiunabitur, prout etiam in magnis feſtis Rectoris arbitrio relinquatur.

STATVTVM SEXTVM.

Quo tempore fores Collegij, & per quem claudi debeant, ac de Antiphona Beat. Virg. in Sacello singulis noctibus recitanda.

ITem statuimus, vt quotidie (etiam in carnis priuio antè primam noctis horam aliquantulum expectando, post sonum campanæ Collegij, per Camerarium Rectoris singulis noctibus paulisper pulsandæ ianuæ Collegij interior, & exterior claudatur suis Clauibus, per eumdem Camerarium, cum Cappellano hebdemadario. Interea verò ad sonum eiusdem Campanæ Rector, Sodales, & Capellani ad Sacellum accedent. Vbi per hebdomadarium, seù alium ex Capellanis post ianuam clausam dicetur, vna ex B. Virginis Antiphonis, pro temporis diuersitate, & cum suis versiculis, & ratione, ac commemorationibus Sanctorum Clementis, & Francisci. Quibus finitis, Collegij claues in Rectoris Cubiculo reponentur, nec mane fores, per ipsum Camerarium aperientur, ante campanam diei pulsatam, & tunc eodem interueniente hebdomadario, nisi forte aliquis casus necessitatis existeret, cuius iudicium, & arbitrium sit Rectoris, & duorum Consiliariorum, quare fores sint aperiendæ neq; tunc vllo modo, nisi præsente saltem, vno ex Consiliarijs aperiantur.

STATVTVM SEPTIMVM.

Qui sessionis Ordo, tam in Sacello, quam in mensa, seù alibi inter Collegiales seruari debeat.

ITem vt in omnibus Ordo, regulaq; seruetur, statuimus, vt Collegiales in Mensa, & vbicumq; publicè conuenerint. Sedeant hoc ordine primò Rector, deindè prout quisq; in Collegio receptus fuerit, & si simul admissi essent in Collegio iudicium sit Rectoris, & Collegij quis ordo inter eos seruari debeat, & quod ab his semel fuerit constitutum seruetur semper in ea rerum conditione. Si tamen de his, qui præcedere debeant, cum alij iam in mensa sedent aliqui (præter Rectorem) veniant, vltimo loco sedeant; Contrarium facientes pœna solidorum decem bononiensium mulctentur, vel alias arbitrio Rectoris puniantur. Item decernimus, vt iunior Collega si antiquiori, secundum ordinem supradictum, obuiauerit in Collegio, vel extrà vbicumq; teneatur ipsum antiquiorem reuereri, sedendo, loquendo, & tollendo pileum sub pœna duarum librarum bononiensium pro qualibet vice, quod si antiquior similem non retulerit reuerentiam, ei duplicetur pœna per Recto-

Rectorem, & Consiliarios. Et inter eos ceremoniæ, per Rectorem, & maiorem Collegij partem stabilitæ, ac per D. Cardinalem Protectorem, vel D. Archiepiscopum approbatæ inuiolabiliter seruentur. Ad quod præcipimus Rectori, vt omnibus diebus post prandium, vel cœnam, si quid sibi nunciatum fuerit de aliquo contra cœremonias facto repræhendat, eritque munus antiquioris semper idem facere, & circa hoc ab omnibus obediatur, debeatque contumax acriter puniri si à communibus Collegij cœremonijs discedat.

STATVTVM OCTAVVM.

De lectione sacræ Scripturæ in prandio, & cæna, de Silentio tenendo: quod ad mensam communem, nihil priuatim afferatur; de fragmentis panis quæ superabunt, & vt in triclinio diebus ieiunij carnes, vel oua comedi non possint.

ITem statuimus, vt Collegiales singuli per hebdomadas vicissim toto anno secundum ordinem receptionis à principio benedictionis primæ mensæ vsq; ad gratiarum actionem legant scripturam sacram (seruato librorum ordine prout in Biblia digesti sunt) in prandio, & in cœna diurna alta voce nec properanter, vt commodè ab alijs omnibus qui silentium tenere debeant exaudiatur,& intelligatur, præterquam in mense maij à cuius calendis volumus,pro sacra scriptura,legi statuta Collegij,ab initio quousq; perlegantur.Cui lectioni hebdomadarius qui defuerit, portione illius prandij vel cœnæ priuetur. Item prohibemus nequis esculentum, aut poculentum ad triclinium afferat priuatim nisi fortè Rector propter infirmitatem; vel aliam iustam causam, pro sua prudentia, hoc nominatim alicui duceret concedendum. Prohibentes etiam sub pœna quinque librarum, ne quis Collegialium, vel Capellanorum in suo, vel alterius cubiculo, seù extra commune triclinium in Collegio (nisi ægrotaret) prandere, seù cœnare præsumat præcipientes, vt fragmenta, quæ tam in prima, quam in secunda mensa, & coquina diebus singulis supererunt, mundè collecta per triclinarium, vel alium per Rectorem ad id deputatum quolibet die post prandium ad Ostium Collegij, pro æleemosina paupetibus erogentur: cum decem, vel duodecim libris panis familiæ, quod vt Rector faciendum curet admonemus in Domino: diebus porro ieiuniorum per Ecclesiam ordinatis nullus in triclinio in prima mensa possit carnibus, ouis, vel lacticinijs vesci; In secunda verò cœteris,præter carnes; quibus etiam extrà triclinium in cubiculo, aut alio honesto loco male se habentibus vesci liceat; ità tamen, vt nullus vsquam cibus ab Ecclesia vetitus à dictorum aliquo sumatur, nisi obtenta ab vtroq; medico licentia per Recto-

rem, & Consiliarios approbanda. Quæ omnia, vt fiant honestius, & citra externorum scandalum fores Collegij priores, antè peractam Secundam mensam nunquam aperiantur, nisi tantum Collegæ, aut viro illustri, vt puta Cardinali, Episcopo, Duci, Comiti &c. famulis autem, & partiarijs aperiatur posticum, & non alijs, secus facientes etiam ipse Rector periurij rei sunto, & quatuor libris mulctentur.

STATVTVM NONVM.

De subsidio ægrotantium, & mortuorum funere.

ITem volumus, & ordinamus quod infirmo Collegiali ex facultatibus Collegij ministrentur omnia necessaria, prout Medicus ordinauerit; quod vt commodius, & fidelius fieri possit; præcipimus, vt Capellani Collegij per mensium vices curam habeant infirmorum, & ità illorum necessitati prouideant, vt habita fragilitatis ratione valetudini potius consuli, quam delitijs indulgeri videatur; Si verò morbus per longum tempus durauerit, itaut ægrotans Collegium exire, aeremq; iuxtà modici consilium mutare debeat, quid in tali casu faciendum sit arbitrio Rectoris, & Consiliariorum relinquitur. Præcipimus autem vt ægrotus qui vsq; ad tertium diem in lecto decubuerit, tuneatur statim peccata sua confiteri. Et si grauis medico videatur infirmitas, Sacram etiam Eucharistiam sumere; nisi Confessor ipse, vel medicus ex aliqua causa Communionem censuerit differendam, quod si ante diem tertium grauari ægrotum contigerit, confessio ipsa, & Communio pręueniatur; Super quo Capellani, Infirmarij, Rectoris, & Oeconomi, qui curam in omnibus debent obtinere conscientiam oneramus. Quod si mori contingat Rectorem, Collegialem, seù Capellanum, qui sepulturam alibi non delegerit. Sepeliatur in Capella, quam habet Collegium in Parochia Sanctæ Mariæ de Muradellis, cuius relicta bona, si non sufficiant permittimus Rectori, & Consiliarijs in ipsius funere, exequijs, suffragijs. & Missis necessarium, & honestum non tamen vltra centum libras bononienses expendere, quod pro anima D. Aegidij Albornotij expensum intelligatur.

STA-

STATVTVM DECIMVM.

Quod nullus possit extraneum aliquem in Collegio inuitare, vel ad dormiendum admittere.

ITem statuimus, vt nullus de Collegio etiam Capellani Officiales, & familiares domus possint exteros quoscumque in Collegio ad prandium inuitare nisi de licentia Rectoris, & eius dispensatione, quo casu erit prandium in cubiculo inuitantis, & suis expensis, nihil recipientis à Collegio, nisi suam triclinij portionem Rector verò valeat in fœsto Sancti Clementis inuitare quos voluerit, dummodò sumptus non excedant summam quadraginta librarum bononiensium. Et prohibemus ne aliquæ expensæ in ordinanda Ecclesia fiant; Poterit præterea Rector tribus ex principalibus anni fœstis arbitrio suo eligendis, & expensis Collegij (dummodò vltra viginti libras non expendatur) in triclinio quosdam viros honestos inuitare, præsertim ex Hispanis Scholasticis. Volumus autem, quod si quis aliquo tempore postquam Collegialis esse desierit non tamen Collegio pulsus, vel aliquis de familia fundatoris Bononiam venerit, eum ad prandium tribus tantum diebus honestè valeat Collegium inuitare; Prohibentes vt nullus præter actu Collegiales Capellanos, & Collegij famulos, aliquo modo in Collegio pernoctare possit. Super quo Rectori dispensandi omnimodam facultatem denegamus; sub pœna priuationis Collegij ipso facto absq; alia declaratione incurrenda. Si in obseruatione huius statuti negligens fuerit, quam pœnam incurrat etiam Collegialis, vel quiuis alius de Collegio, qui externum in ipso quomodolibet fecerit, seù permiserit pernoctare.

STATVTVM VNDECIMVM.

Quomodo vestiri debeant Collegiales, & incedere per Vrbem.

ITem cupientes vestitui Collegialium, & insignibus Collegij proùt honestati conuenit prouidere sancimus; vt omnes Collegiales qui sunt, & erunt, vestiri debeant in hunc modum. Vtentur, veste ex panno nigro talari, & manicata (qua forma olim, & nunc Doctores Bononienses vtuntur) ac focali quod dicitur caputeus ex hyacinthino panno qui morellus vulgò nuncupatur. Quibus vestibus, & focali semper vti debeant quocumq; siuè per Vrbem iuerint, & quacumq; hora diei, quod si aliquis Collegialis aliter, vt dictum est incesserit. Rectorq; de hoc legitimam probationem habuerit expella-

pellatur à Collegio; Præterea debent Collegiales bini incedere per Vrbem. Ideò ordinamus, vt quando aliquis velit domum exire, quemlibet se nouiorem ex Collegialibus vocare possit, vt secum proficiscatur, cui si nouior non obedierit, vltra publicas in triclinio repræhensiones viginti libris puniatur; eamdem pœnam Rectore subituro; si eam iuxtà huiusmodi statutum non fuerit executus; quod si quisquam solus incedere repertus fuerit præterquam ad Scholas via recta tempore quo legi solet, prima vice in pane, & acqua puniatur coram omnibus discumbentibus in triclinio; pro secunda medietate subsidij vnius anni priuetur tertia protinus à Collegio expellatur. Domi tantum veste nigra Collegij vti permittimus, & vt sinè tali veste, & focali quod est insigne Collegij iusta de causa equitare liceat. Quod si duo vel plures Collegiales viderint, tertium cum pallio (quod cappa vulgo dicitur) vel simili habitu intra muros Bononienses; etiam si in agrum velit exire, animi relaxandi gratia, teneatur statim Rectori denunciare, quorum denunciatio, vt plena probatio habeatur; Quod si denunciantes falsum denunciasse reperti fuerint, pœna talionis puniantur, & damnum expulsi à Collegio prout Rectori, & Consiliarijs visum fuerit, resarcire compellantur Rector autem expellatur à Collegio, si negligens fuerit in his pœnis exequendis; Sitq; excommunicatus latæ sententiæ, si sciens dissimulauerit. Præcipimus etiam, vt omnes Collegiales calceis, & caligis nigris vti debeant; item vmbella, seù galero honesto funiculo serico tortili ornato, & non aliter; interius verò tunicella vsq; ad genua, seù veste nigra, (quæ vulgo dicitur media sortanilla) vtantur quam æstiuo tempore bombicinam esse permittimus, simplicem tamen, valdè honestam, & non elaboratam, alias monitus per Roctorem, aliquid in honestum, seù prætiosum deferens, perdat quicquid prohibitum detulerit pro prima vice, & Collegij Sacello applicetur, pro secunda in duplum secundum rei æstimationem puniatur; tertia verò à Collegio expellatur, Rectori tamen liceat vti quibuscumq; vestibus prætiosis de serico, siuè de panno tantum dummodo in locis publicis in quibus opportet alios Collegiales togatos incedere similiter veste longa talari, & caputeo ex serico semper vtatur.

STATVTVM DVODECIMVM.

De candelis, & subsidio Collegialibus suppeditando.

ITem statuimus, vt in annos singulos cuiquè Collegialium ad vigilias, & lucubrationes triginta libræ olei, vel candelarum dentur videlicet, à Mense Martio, vsque ad Octobrem inclusiuè in quolibet mense libra, & semis in singulis autem cœterorum mensium quatuor, & semis. Ad alias verò necef-

necessitates cuilibet tribuantur libræ centum bononienses, & huiusmodi pecuniam, subsidium, seu prouisionem appellari volumus, ac ità intelligi omnia statuta, in quibus de prouisione, vel subsidio fit mentio. Quod subsidium tribus æquis partibus suppeditetur in fœsto omnium Sanctorum in fæsto Natalis Domini, & in fœsto Resurrectionis, pro rata scilicet temporis quo in Collegio præsentes, aut absentes propter negocia Collegij fuerint, ante terminos verò dictos, & vltra tertiam partem in quolibet termino aliquid dari, & recipi prohibemus omnibus sub pœna perditionis eius, quod contra quam cauetur hoc statuto datum, vel receptum fuerit nisi forte aliquis etiam discessurus à Collegio non amplius, vel non ità breuiter reuersurus. Statuentes tamen sub pœna prædicta, & alijs arbitrio D. Cardinalis Protectoris, vt nunquam aliqua pars ex dictis tertijs in aliquo prædictorum terminorum, detur Collegialibus nisi prius fuerint soluta omnia debita, quæ Collegium vsque ad illud tempus contraxerit: & nisi ad fabricam, & ad gradus Collegialium; Salariumq; officialium soluendas (de quibus infrà dicetur) pecuniæ omninò prius retineantur, & ne ciues bononienses possint conqueri de Collegialibus. Rector creditoribus ipsorum Collegialium apud se sibi debita probantibus ex his tertijs subsidij (nisi aliter inter ipsos Creditores, & debitores conuenerit, satisfacere teneatur.

STATVTVM DECIMVMTERTIVM.

De indumentis octennio toto tribuendis.

ITem statuimus, vt cuilibet Collegialium in toto octennio dentur, expensis Collegij, duæ vestes ex panno nigro, & duo focalia, siuè caputei ex hyacinthino panno, qui vulgo morellus appellatur; quarum altera detur in admissione cuiusque altera peracto quadriennio. Quod si pecuniæ post quadriennium fortè non sufficerint, tunc antiquissimi quiq; secundum admissionis tempus (dummodo iam Collegiales esse non desierint) cœteris in assecutione huiusmodi vestium præferantur. Præcipientes, quod si quis veste talari, aut caputeo carere repertus fuerit viginti libris mulctetur, vltra quam pœnam tamdiù portionibus panis, & vini per Rectorem priuetur, quamdiù sua culpa carebit; in quo si Rector negligens fuerit, pro modo culpæ, de proprio teneatur.

STA-

STATVTVM DECIMVMQVARTVM.

De subsidio Collegialibus ad gradum præstando, ac disputatione per ipsos prius habenda cautione præstanda, & Cathedra seù officijs procurandis.

ITem statuimus, vt si quis Collegialium propter inopiam gradum Magistri, seù Doctoris in facultate ad quam fuerit admissus, consequi non possit à Rectore Collegij, & Consiliarijs de centum, & quinquaginta libris quas ad hoc singulis annis destinamus ei subueniatur, hoc modo Theologo quindecim scuta aurea; ad gradum verò in iure Canonico decem, & octo dabuntur; Nec obstet prædictis, si quis eorum in iure Ciuili, seù in artibus propter Cathedram publicam, sinè impensa Collegij gradum obtinuerit. Illi autem, qui aliquando fuerint Collegiales (non tamen sua culpa pulsi Collegio seù priuati) si ad gradum sumendum Bononiam venerint, eo die ipsos Collegiales esse, & pro talibus habendos decernimus, ac declaramus, & quocumq; priuilegio, siuè prærogatiua gaudere debere, ac si gradum accepissent, cum essent superiore tempore Collegiales, vestibus, & portione Collegialium vtentes declarantes supradicto subsidio debere frui, eum, qui in Collegio per triennium completum commoratus fuerit, & iurauerit, se non posse sumere dictum gradum, propter paupertatem quique disputauerit publicè intrà Collegium, cautionemque sufficientem præstiterit intrà quatuor dies, post susceptas pecunias, se ordinarium examen Doctorum subiturum; Et si ab his approbatus non fuerit, seù gradum non obtinuerit, pecunias Collegio restituturum. Nolumus tamen quocumque prætextu huiusmodi subsidium, ijs à Collegio subministrari, qui simul fuerint Collegij, ac vniuersitatis Rectores, & ab eadem vniuersitate aliquem ex prædictis gradibus, vt moris est acceperint cœterum ne forte contingat aliquem Collegialem minus doctum, id consequendi huiusmodi muneris, seù alia quauis causa attentare. Statuimus, ne quis Collegialis repetere, aut disputare publicè permittatur extrà Collegium, nisi prius Conclusiones, quas extrà publicè disputare cogitat intrà Collegium (vt fieri consueuit) aliquibus contra disputantibus sustinuerit; & iudicatus fuerit à maiori parte Collegij ad eas sustinendas idoneus, & sufficiens, de quo iudicio non ferantur suffragia, aliterquam per fabas albas, & nigras, iuramento prius à Collegialibus singulis in manibus Rectoris præstito quod nihil dantes odio, amori, vel præcibus suffragabuntur ei, & aut refragabuntur, & hæc forma suffragandi obseruetur, in omnibus casibus in quibus vertitur præiudicium tertij. Item si quis Collegialis de consensu Collegij seruata forma, vt supra cœperit procurare, seù petere in vniuersitate Bononiensi, seù alibi

Cathe-

Cathedram aliquam, vel officium vtile, aut honorificum nullus alter de Collegio illum turbet, vel quouis modo impediat; Sed iuuet potius sub pœna arbitrio Rectoris imponenda.

STATVTVM DECIMVMQVINTVM.

De honore impendendo Collegialibus gradum sumentibus, & ineunda ratione si sint plures, & pecuniæ non supetant cunctis gradum sumere volentibus.

ITem statuimus vt Rector, & Collegiales omnes, ac Capellani teneantur honorare, & comitari (maximè in reditu, post susceptionem gradus) Magistrum, seù Doctorem vt suprà promotum, etiam illum, qui suis pecunijs promotus fuerit, & primum locum in reditu, post Rectorem illi dare. Et si fortè plures essent in Collegio, qui vellent promoueri subsidio Collegij, nec pecuniæ ad hoc destinatæ sufficerent omnibus, tunc primò prouideatur illis, qui fuerint antiquiores, vel obtinuerint Cathedras publicas, prout superius est expressum quippe quos apertius constat in studijs laborasse tanquam in Vinea Domini, & sic semper ij præferantur, qui laborauerint impensius ergà literas, & in suis facultatibus magis profecerint; tales enim cœteris anteferri in huiusmodi subsidio. Volumus de quo stetur iudicio maioris partis Collegij per fabas albas, & nigras, vt supra cum iuramento.

STATVTVM DECIMVMSEXTVM.

De electione ad præbendam Ecclesiasticam, & studij Bononiensis Cathedram, ac eius extraordinario subsidio.

ITem quoties ad instantiam D. Cardinalis Protectoris, vel Oratoris Hispani aliqua præbenda à Summo Pontifice non certæ personæ, sed Collegio concedetur. Volumus quod elapso tertio die notitiæ fiat concursus inter Rectorem (si prætendere velit) & duos vel tres antiquiores Collegiales, qui singulas lectiones in punctis assignatas coram toto Collegio legant; Et contra ipsos cœteri Collegiales argumententur, peractoq; examine, per secreta suffragia præstito prius iuramento eligent, quem digniorem diiudicabunt ætate, moribus, vita, doctrina, prudentia, & alijs rebus opportunis. Ipsumque D. Cardinali Protectori prædictos renunciabunt, vt ei Præbenda à Summo Pontifice conferatur; Eademque forma seruabitur in eligendo Collegiales ad

Cathedras, quæ à Senatu Bononienſi concedi ſolent, vt in eis obtinendis præferantur qui maioris partis iudicio digniores iudicabuntur quibus ſi Colegium abundauerit (vt ſupra cautum eſt) præter commune vniuerſitatis ſalarium, & Ordinarium Collegij ſubſidium ſingulis annis in fine ſtudiorum triginta ſcuta à Collegio dari volumus; totidemq; ſimiliter dabuntur his, qui in dicta vniuerſitate Cathedram aliquam quomodolibet obtinuerint.

STATVTVM DECIMVMSEPTIMVM.

Quamdiù Collegialibus liceat in Collegio commorari.

ITem ſtatuimus, vt Collegiales in Collegium admiſſi poſſint per octo dumtaxat continuos annos commorari, quamobrem nemo deligatur ad publicum munus ſiuè officium in Menſe Maij, aut alio ſi tempus obeundi officium, ſit longius reſiduo temporis, quo poterat ille alias in Collegio permanere, vt improbis conatibus obuietur eorum, qui callidè conantur ea ratione tempus ſibi præſcriptum producere; quibus octo annis completis quilibet à Collegio diſcedere teneatur. Quod ſi quis diſcedere aliquo prætextu recuſauerit, vel admonitus quoquo modo reſtiterit, continuò per Rectorem, & totum Collegium ſub pœna periurij, quam incidant ipſo facto negligentes, pœnitus expellatur. Concedimus autem vt qui fuerit Rector ſemel, aut ſæpius propter labores, & temporis diſpendia habeat vnum annum; Vltrà cœteros, quo perindè vt antè ſit, & habeatur Collegialis. Declaramus inſuper quod ſi ſemel receptus vigore quarumdam literarum tempus ſuum compleuerit, vel id quouis modo explicauerit nullo modo petens iterum vigore aliarum literarum, ſe in Collegium admitti, recipiatur ſub pœna periurij, & expulſionis à Collegio ipſis recipientibus imminente receptionem nihilominus irritam decernentes.

STATVTVM DECIMVMOCTAVVM.

Quid faciendum ſit, ſi Collegiales vectigalibus augeantur.

ITem ſtatuimus, & declaramus, vt ſi quis Collegialium poſtquam fuerit in Collegium admiſſus vectigalibus, ſeù reditibus annuis ad ſummam ducatorum aureorum tercentum; Siuè ex patrimonio, ſiuè ex beneficijs, aut rebus ſimilibus auctus erit, obtenta poſſeſſione, vel ſi per ipſum ſteterit quominus obtinuerit intrà duos menſes à die habitæ notitiæ poſſeſſionis pacificæ computandos, Collegium exire, & alteri cedere ſub pœna periurij teneatur,

nec

nec huiusmodi Collegialis à die prædictæ notitiæ vllo Collegialium subsidio fruatur eumque ad restitutionem dupli eorum quæ vltra prædictum terminum à Collegio acceperit, ipso iure obligari volumus, licet à Rectore, vel alijs ignoretur, nisi infrà sex menses à die prædictæ notitiæ numerandos, spes certa esset ipsum ad Doctoris gradum ascensurum, in ea quam profitetur facultate; tunc enim volumus, ipsum vsq; ad gradus susceptionem in Collegio permanere quem intra dictum tempus Bononiæ cum ordinario examine sumere suis expensis præstita idonea cautione, quod ob eam causam remanet expresse teneatur. Quam cautionem Rector, & Consiliarij sub pœna periurij; & priuationis Collegij intra dictos duos menses recipiant Rectori tamen quantumcumq; diuitijs augeatur prædicti menses, nec ad exitum, nec ad cautionem præstandam imputentur donec fuerit magistratu functus.

STATVTVM DECIMVMNONVM.

Quamdiù Collegiales abesse possint à Collegio.

ITem statuimus; vt si quis Collegialium propter aliqua sua, vel parentum, aut consanguineorum negocia Romam, Hispaniam vel alio ire voluerit: Rector cum Consiliarijs, seù maiore ipsorum parte ei licentiam præbeant quoties illi opus fuerit, vt à Collegio abesse possit, per sex dumtaxat menses, intrà quos si non redierit, sit ipso iure priuatus Collegio nisi forte procurator ipsius ad hoc per suas priuatas literas, aut alias nominatim constitutus aliorum sex mensium dilationem obtinuerit, quam ipsi constito de mandato concedi volumus, dum tamen vltra annum continuum, vel alias vltrà annum cum dimidio in toto suo octennio in omnibus absentijs per ipsum petitis, & concessis non possit abesse vllo modo, alias sit eo ipso priuatus Collegio. Quod si propter negocia Collegij procuranda fuerit aliquis per Collegium consulto D.Cardinali Protectore missus, tunc abesse possit aliquandiù ad negocia expedienda fuerit opus; nec tempus in negocijs Collegij consumptum imputetur ei ad octennium; & sic absens fruatur omnibus subsidijs, & commoditatibus Collegij præter portionem quotidianam, perindè ac si adesset in Collegio; Vltra quas nihil aliud dàri præcipimus, nisi expensas legitimè factas. Prædictæ autem licentiæ in libro ad hoc deputato per ordinem, cum die, mense, & anno similiter, & dies recessus, ac reditus eius manu Rectoris, sub pœna periurij describantur. Prohibentes sub pœna expulsionis à Collegio Rectori, & Collegialibus aliquem ad locum cuiusuis supradictarum personarum absentium, antequam vacet, in Collegium admittere, nec cum pacto quidem ac iuramento, quod aduenientibus illis personis cedet continuo

ſoluens expenſas, & omnia alia à Collegio accepta. Declarantes admiſſionem contra prohibitionem hanc factam nullius penitus eſſe momenti, & nihilominus omnia quæ ſic receptus habuit à Collegio ſoluere, qui eum admiſerint ipſo iure teneantur. Item quia nonnulli Collegiales circa tempus electionis Rectoris, vel aliorum officialium à Collegio ad tempus diſcedunt, ex quo non modica damna Collegio euenire poſſent; ideò ſtatuimus, vt nullus ſupradictorum Collegialium menſe Aprili Bononiæ exiſtentium abire poſſit à dicta Vrbe animo ſubterfugiendi ſupradictam electionem, quouſq; menſe Maio electiones Rectoris, & aliorum Officialium ſint factæ niſi probabilis, & iuſta cauſa interuenerit de qua prius fidem faciat, ſaltem per iuramentum Rectori, & Conſiliarijs, ſe non idcirco diſcedere nè interſit electioni, & ſi poterit venturum ad eam; contra verò facientes, vel ſe quoquo modo prædictis Officijs, ſeù eorum electioni ſubtrahentes ſint ipſo facto periurij, & ſubſidij vnius anni priuatione mulctentur. Item etiam ſtatuimus, quod ſi Ciuitatem Bononienſem peſte (quod Deus auertat) vel alio contagioſo morbo laborarè contigerit, tunc Collegiales, ſi ita Collegio viſum fuerit, ab ipſo diſcedere valeant remanente ſemper Rectore cum duobus ſaltem Collegialibus, per ſortem (niſi ſe ſe ſpontè offerant) deſignandis.

STATVTVM VIGESIMVM.

Vt quotidie Collegiales operam ſtudijs impendant.

ITem ſtatuimus, vt omnes Collegiales ſingulis diebus (feſtiuis exceptis) per vnam, vel duas horas ſuæ facultati in ſuis Cameris, vel bibliotheca operam præſtent. Et ſi quis in Collegio, vt debet non ſtuduerit, ac poſt tertiam monitionem per Rectorem, & Conſiliarios illi faciendam (quam ſub pœna periurij intrà decem dies poſtquam eis conſtiterit facere teneantur) literis, vt debet incumbere noluerit: ipſum ſub prædicta pœna ad D. Cardinalem Protectorem deferant, vel ad D.Viſitatorem, qui etiam extrà tempus viſitationis, cognita veritate, illum expellat à Collegio.

STATVTVM VIGESIMVMPRIMVM.

De actibus literarijs in Sacello haben. vel extraordinariè legendo.

ITem ſtatuimus, vt ſi quis Collegialis publicè Bononienſibus Doctoribus adſcitis in Sacello literarium actum habere velit ei permittatur dummodò priùs coram toto Collegio proponat, & dignus iudicetur tali publicatione.

ne. Item possit quilibet in sua facultate extraordinariè legere in vniuersitate, seù Collegio (licentia à Rectore) & Collegio petita etiam nullo ab vniuersitate salario designato.

STATVTVM VIGESIMVMSECVNDVM.

De exercitio Literario.

ITem statuimus, vt singulis hebdomadis in Sabato, vel die Veneris si festiuitas impediuerit (præterquam tempore trium mensium à Calendis Iunij incipiendo, & à Natali Christi, ad Epiphaniam, & à resurrectione ad octauum inde diem (quilibet Collegialis secundum Ordinem antiquitatis) semper in Orbem seruandum, ac nullo modo interpellandum, tres conclusiones suæ facultatis,& eius materiæ, quæ à Rectore fuerit designata proponat ac defendat; Statim post primam horam noctis, audientibus cœteris Collegialibus, & Cappellanis ad sonum campanæ conuocatis, quas conclusiones pridiè immediatè post prandium in loco publico antè triclinij fores inscriptas ad columnam affiget ordo tamen arguendi ita seruetur. Vt quo quisque iunior sit in receptione ad Collegium hic prius argumentetur, & Rector, qui prædictæ disputationi omninò interesse debet, ipsam moderetur, & terminet; iuxtà mensuram temporis, & arguentis, ac respondentis conditionem. Quam disputationem in alium diem differre non possit, nisi aliqua vrgens causa subsit, super quo eius conscientiam oneramus ei pœna proposita, ad quem ordo antiquitatis pertinebit si conclusiones, vt prædicitur non proposuerit, ac sustinuerit vnius libræ bononiensis pro prima vice, & nihilominus idem teneatur die proxima ex destinatis conclusiones huiusmodi sustinere qui si secundo fuerit negligens, pœna duplici mulctetur, & nisi deinde proxima die ex eisdem huc destinatis eas sustinuerit subsidij medietate priuetur. Si verò aliquis ex argumentaturis id munus omiserit tota sequentis diei portione priuetur. Et si huiusmodi statutum iusta, & legitima causa cessante. Rector exequi quoquo modo neglexerit vinculo excommunicationis latæ sententiæ, sit eo ipso ligatus.

QVAR-

QVARTA DISTINCTIO.

DE electione Rectoris, Consiliariorum, & Oeconomi : de singulis eorum Officijs circa gubernationem Collegij, & administrationem rerum ipsius de Ministris Collegij, Protectoribus, & Visitatoribus eiusdem, & de alijs omnium supradictorum materiam tangentibus.

STATVTVM PRIMVM.

De electione Rectoris.

ELectionibus Rectoris, & cœterorum Collegij Officialium certam formam præscribere cupientes, ordinamus, & sancimus, vt Rector deinceps, in hunc modum eligatur; Calendis Maij (quo die ipsum semper eligi volumus) omnes, & singuli Collegiales, qui tunc in Collegio aderunt, mane antequam fores ipsius aperiantur (quas antè electionem prædictam aperiri nolumus) continuò post Missam Spiritusancti, quæ dicetur in Aurora in vnum, sub pœna periurij in Sacello, Sacrario siuè Sacrista ad pulsum campanæ conuenient; itaut hora pro homine interpellet, quorum si quis vocatus, & admonitus venire recusauerit vltra periurij pœnam pellatur à Collegio ad duos annos. His in vnum sic congregatis, palam ipsis cum notario, ac duobus saltem Capellanis Collegij Testibus, Rector ex paruis schedulis pergameneis sua manu scriptis nomina, & cognomina Collegialium, qui post admissionem suam saltem sex mensés (præter Rectorem ipsum, & eos, qui fuerint maiorem anni partem Consiliarij) in Collegio compleuerint, continentibus à se prius intelligibili voce coram omnibus lectis, & cæra inclusis pillulas faciat illasq; sigillatim in peluim aquæ mittat; in vnaquaq; cum mittitur nomen inclusum enunciando. Ex quibus pillulis sæpè reuolutis vnus ex prędictis Capellanis clausis oculis decem extrahat sigillatim, & alij reiectis iterum has decem pillulas in peluim separatim reponat, & rursus ex ipsis tres sigillatim, per eumdem Capellanum extrahantur, & schedulæ inclusæ alta, & intelligibili voce ab ipso Rectore legantur, & publicentur, & Collegiales tres in eis contenti dumtaxat eligendi Rectorem liberam habeant potestatem. Qui Electores antequam ad prædictam electionem faciendam accedant iurabunt in manibus Rectoris, tactis Sacrosanctis Euangelijs se nihil dantes proprio commodo odio, præcibus vel amori, iuxtà hæc statuta electuros, quos ad regimen, & gubernationem Collegij personarum, & bonorum ipsius credi-

crediderint, & reputauerint meliores, ac magis idoneos. Præterea omnes, & singuli Collegiales, qui alias in Rectorem eligi possent, interrogentur an Clerici sint, & attingerint saltem vigesimum quintum annum suæ ætatis, ipsiq; iurati veritatem confiteantur; laicum enim, & ea ætate minorem, & qui non fuerit Collegialis saltem duos annos completos inhabiles, tam ad Rectoris, quàm Vicerectoris munus esse decernimus; Quibus iuramentis præstitis in dicto loco, prædicti tres Electores tandiù soli reclusi maneant, donec habita inter eos diligenti consideratione, ac deliberatione, omnes, aut saltem ipsorum duo de tribus personis conuenerint iuxtà hæc statuta eligendis, nullo interim cibo potuq; alendi. Qua electione, vt prædicitur facta, & in scriptum redacta, ac eorum subscriptionibus roborata, nomina, & cognomina ipsorum, qui fuerint electi per ipsos Electores includantur in tribus cœreis pillulis, quæ conuocatis omnibus Collegialibus ad sonum campanellæ, & ibi præsentibus ponantur iterum in peluim aquæ, & per aliquem ex Capellanis clausis oculis in præsentia Notarij, & Capellanorum supradictorum vna ex tribus illis pillulis extrahatur, & per Rectorem aperiatur, & qui fuerit contentus in ea sit Rector atq; pro tali ab omnibus habeatur, & obseruetur. Aliæ duæ pillulæ vna cum schedula Rectoris electi à Notario prædicto accipiantur, itaut nullus alius (sub pœna periurij si quis enunciauerit) scire possit nomina alia inclusa in dd. duabus pillulis, quæ per ipsum Notarium, & duos saltem Electores; Vicario D. Archiepiscopi Bononiensis eodem die deferantur, vt cognoscat formam statutorum Collegij in electione fuisse seruatam, ex ipsis tamen tribus Electoribus nemo eligatur in Rectorem, alias electio irrita sit ipso iure, prohibemus etiam ne Electores, seù ipsorum aliquis, sub pœna periurij, & priuationis Collegij ante huiusmodi electionis publicationem, per se vel per alium, publicè, vel occultè verbo, aut scripto (seù alio quouis modo audeat communicare, seù colloqui, cum alio præterquam cum suis coellectoribus, eamdemque pœnam incurrat quicumq; aliorum tentauerit communicare, seù colloqui cum prædictis electoribus, seù aliorum aliquo ante huiusmodi electionis publicationem, sed nec ex tribus electoribus duo inter se, tertio non interueniente de eodem electionis negocio tractare aliquid audeant; alioquin, vel si in ipsa electione dolum aliquem interuenisse constiterit, dictis pœnis subiaceant; Aliter autem electionem, aut ex alijs Collegialibus, quam supradictum est factam irritam ipso iure esse decernimus, & nullius pœnitus momenti. Si autem omnes tres Electores vnum aliquem, quem maximè idoneum, & ad id munus accommodatissimum iudicauerint, deligendum solum putauerint: liceat eis, & qui ab ipsis sic fuerir electus, Rector sit atque vt talis ab omnibus habeatur. Si verò non omnes tres conueniant in vnum, sed in duos, eorum duorum nomina cereis pillulis (vt supra dictum est) includant, & cuius nomen fuerit extractum is Rector ab omnibus habeatur.

beatur. Sed aliquo trium electorum dissentiente, fiat electio de tribus (vt supra dictum est) aliàs sit irrita, & inanis. Volentes quod si electores nullo modo conuenerint, tunc vnicuique Collegialium vnum nominare, seù eligere liceat in Rectorem; Sed quia propter inopiam Collegialium, hic eligendi modus aliquando seruari non potest statuimus, vt quotiescumq; eorum numerus ad quindecim non ascenderit, omnium Collegialium nomina etiam Rectoris, & Consiliariorum eodem modo quo supra dictum est, cereis pillulis includantur, & in peluim aquæ mittantur; ex quibus per d. Capellanum clausis oculis duæ tantummodo extrahantur ab ipso Rectore legantur; & publicentur; quorumque nomina in his contenta fuerint hi liberam, eligendi potestatem habeant, formam semper prout in casibus supra repetitis, seruantes; nulla hoc casu habita ætatis eligendorum differentia; Rectorem tamen inhabilem decernimus, ne possit concurrere, seù eligi ad idem officium pro anno sequenti. Quod si Collegialium numerus minor quam septem fuerit; tunc electio Rectoris ad D. Cardinalem Protectorem, per se ipsum facienda deuoluatur.

STATVTVM SECVNDVM.

De non recusando officio, ab eo, qui fuerit Rector declaratus, ac de eius confirmatione petenda, & iuramento per eundem præstando.

ITem sancimus, vt facta (quemadmodum statuto superiore cauetur) electione ipse Rector electus eadem die sub pœna priuationis Collegij, quam secus faciendo incurrat ipso facto, consentire coram omnibus de Collegio, vel maiore parte necessario teneatur; nec in hac parte aliqua eius excusatio admittatur; & die postero Consiliarij, qui tunc temporis erunt, ipsum electum ad D. Archiepiscopum Bononiensem, seù eius Vicarium generalem ad quem primum ipso verò, & Vicario negligente, ad Priorem Monasterij Sancti Michaelis in nemore extrà muros Vrbis Bononiensis electionis huiusmodi confirmationem declaramus pertinere debeant fideliter, sub pœna periurij deducere & postulare, vt sic electum in dicto officio placeat confirmare. Qui (visis electione, & præsentatione prædictis receptoq; à sic electo prius per Sancta Dei Euangelia iuramento ipsum hæc statuta bona fide; cunctisq; Iuribus inuiolabiliter obseruaturum; ac vt à cæteris seruentur, quantum in ipso fuerit effecturum; Commissum sibi officium, & administrationem omni odio, præcibus, & amore postpositis ac omni fraude exclusa fideliter obiturum; Iura, & priuilegia Collegij defensurum, bona ipsius fidelissimè conseruaturum; & de sua administratione debitam rationem, ac plenam satisfactionem redditurum), eumdem in Rectorem sine aliqua cunctatione confir-

confirmet; nisi forte ex aliqua iusta,& probabili causa confirmationem huiusmodi duceret denegandam. Quod si electio talis fuerit legitimè damnata, siuè quassata; eligendi alium forma supradicta, Collegiales liberam habeant potestatem, in qua electione obseruentur omnia quæ superius sunt expressa, & si fortè malitiosè, vel propter discordiam, aut alias electio huiusmodi per dictos Collegiales vltra decem dies differatur ipse solus ad quem confirmatio spectabit, sinè electione ea vice tantum prouideat de Rectore; dum tamen prouideat de Hispano, & de Collegij corpore, & non externo. Confirmatione verò electionis sequuta, vel alia prouisione, vt superius est dictum, omnes, & singuli Collegiales, Capellani, Officiales, & alij domestici Collegij, sub pœna priuationis à Collegio nouo Rectori præstent per Sancta Dei Euangelia iuramentum; Se illi in licitis, & honestis obtemperaturos, quo præstito cubiculum Rectoris cum supellectile, & omnibus rebus ad id pertinentibus, Claues Collegij, & omnia illa quæ spectant ad Rectorem eidem protinus cum inuentario consignentur.

STATVTVM TERTIVM.

Quod Rector Collegij possit esse vniuersi gymnasij Bononiæ Rector de eius salario, ac de Vicerectore illo absente.

ITem statuimus, vt Rector Collegij (non autem alius ex eo) possit etiam esse Rector vniuersi gymnasij Bononiensis, & tunc ab ipso Rectore Collegij sufficientem cautionem præstari volumus; quod si causa regiminis præfati gymnasij Collegio damnum aliquod fecerit, ipsum seruabit indemne prætextu autem, siuè occasione dicti officij vniuersitatis, nihil pœnitus præter tres corbes vini de rebus Collegij habeat quoquomodo. Prætereà si Rector fortè in Hispaniam Romamuè,aut aliorsum paulò diutius ab futurus obtenta priùs à Domino Cardinali Protectore licentia, voluerit proficisci antiquior in Collegio Consiliarius pro tempore absentiæ Rectoris officium exercere teneatur, nullam tamen prærogatiuam habeat, ac si esset simplex Collegialis excepto, quod in omnibus obediatur, vt Rector, eiusq; locum in sedendo teneat, ac famulum, & cameram possideat, & quantum temporis occupatus fuerit in dicto officio, tantumdem possit in Collegio commorari vltrà suum octennium, idque munus habeat Rector pro quo seruierit; salario verò non fruatur; sed ipse Rector, ac si non abfuisset suum integrum recipiet, quod vltrà commune subsidium pro sui regiminis anno centum quinquaginta librarum bononiensium erit, quarum saltem centum in vestes, quibus Collegium honoretur expendere teneatur. Cuius quidem salarij tertia pars in

F prin-

principio eius officij soluatur, tertia in principio studij, reliqua non detur, nisi in fine Rectoratus post redditam ab eo de omnibus ad suum officium spectantibus plenam successori suo rationem.

STATVTVM QVARTVM.

De iurisdictione Rectoris circa causas, & negocia Collegialium.

ITem quia magis è dignitate Collegij fuerit commodiusq; Collegialibus, ac item externis causas, & negocia quæcumq; Collegialium, Capellanorum, & aliorum Collegij domesticorum, priuatim singulas personas attingentia ibidem à Rectore diiudicari, quam quod coram alijs Iudicibus cum vexationibus, & amissione studij, & non nunquam dedecore partium, ipsarumq; laboribus non modicis, & expensis agitentur. Statuimus, vt causæ omnes Criminales, Ciuiles, seù etiam mixtæ (læsæ Maiestatis, hæresis, & falsæ monetæ dumtaxat exceptis) quas seù quam aliqnis etiam externus contra aliquem Collegialem, Capellanum, vel Seruitorem Collegij mouere, seù intendere voluerit, coram Rectore cum notario Collegij ordinario tractentur. Rectoriq; petenti à Collegio auxilium contra aliquem Collegialem, vel famulum omnes teneantur opem ferre sub pœna priuationis vnius anni antequam examinent,an id iustè, vel iniustè petat, etiam si Rector voluerit capi aliquem, & recludi in aliquod cubiculum, vel etiam in carcerem; dummodò quam primum fieri potuerit, tres antiquiores Consiliarij cognoscant, an iustè sit captus qui si non iustè captus sit, statim liberetur.

STATVTVM QVINTVM.

De generali inquisitione singulis annis per Rectorem facienda contra eos, qui possessionum fructus ad Collegium spectantes vsurpauerint, & de prohibitione alienationis bonorum Collegij.

ITem statuimus, & ordinamus, vt Rector intrà mensem à die suæ electionis computandum teneatur Oeconomum, factorem, & omnium possessionum Socios coram se vocare, & ab eis medio iuramento coram Notario Collegij diligenter inquirere, an pars quæ ad Collegium spectabat anno proximè præcedenti, ex omnibus fructibus possessionum integrè fuerit ad Collegium adducta; an verò aliquid ex ea subtractum ad instantiam cuiusuis de corpore Collegij, siuè extrà; & si per eos aliquid fuerit denunciatum ad vlterio-

teriora, vſque ad plenam probationem procedat, ac dilinquentes pœnis à ſtatutis Collegij, & iure inflictis punire teneatur, atque antè finem prædicti menſis coram eodem Notario referat Collegio qualiter munus ſuum omni adhibita diligentia circa huius ſtatuti obſeruationem impleuerit, & quæ per ipſum inuenta; ac geſta fuerint explanare debeat. Quod ſi in hoc negligens fuerit menſe prædicto elapſo ſit ipſo facto, Rectoris officio priuatus, & in poſterum ad officia Collegij inhabilis perpetuò remaneat, ſtatimq; alius eligatur. Item Rector, & Collegiales de poſſeſſionibus, & bonis immobilibus Collegio acquiſitis, & acquirendis ac de libris bibliothæcæ, & Sacelli aut alijs ornamentis vendere, obligare, donare, ſiuè ad cenſum dare, vel quomodolibet alienare etiam quauis neceſſitate inſtante nihil poſſint, & ſi totum Collegium nemine diſcrepante conſentiat. Permittimus tamen vt iugera, parteſq; agri ſiuè Terræ quas Collegium ſeparatas habet, pro alijs qui ſint contiguæ; Seù coniunctæ terris ipſius vel alia bona immobilia poſſint permutari; Si ex permutatione dictum Collegium lucri faceret, & fiat cum auctoritate, & decreto D. Cardinalis Protectoris, audito prius Oeconomo, ac alijs in arte peritis iuxtà iuris diſpoſitionem; Poſſit verò Collegium de conſenſu eiuſdem D. Cardinalis Protectoris, ruſticis, & cultoribus poſſeſſionum benemeritis, vel alijs aliquid in vtilitatem Collegij facientibus. Secundum ſuos labores, & ſeruitia de fructibus, & redditibus Collegij remunerare.

STATVTVM SEXTVM.

Quæ debeant per Collegium, vel Rectorem, & Conſiliarios expedire.

ITem ſtatuimus, vt quotieſcumq; aliquo graue negocium extiterit. Rector primum ſingulos Collegiales moneat, vt rem diligenter conſiderent; poſtridie vero ad Concilium conuocet in locum conſuetum, quo qui venire neglexerit, portione priuetur, pane dumtaxat alendus, & aqua, & habita deliberatione; negocia grauiſſima duarum partium ex tribus Collegij præſentibus ſententia definiantur. In mediocribus autem valeat maioris partis iudicium, leuiora expediantur per Rectorem, & Conſiliarios, vel eorum maiorem partem. Quæ autem ſint maiora mediocria, & leuiora (ſi fortè dubitatur) Committimus illius arbitrio, cui Collegium ſubmittitur. Ad quæ, & alia facienda in Collegio adſit liber publicus, in quo deſcribantur omnia, quæ proponuntur in Collegio, vel Concilio, & decreta ſuper iiſdem facta, creeturq; aliquis Collegialis in ſecretarium, qui omnia ſupradicta, nec non Epiſtolas omnes Collegij, & licentias annotet, & ſcribat, erit etiam alius liber ſolum ad receptiones Collegialium, & decreta Collegij ad eorum admiſſionem

pertinentia, qui in arca trium Clauium in cubiculo Rectoris posita seruabitur.

STATVTVM SEPTIMVM.

De visitatione possessionum per Rectorem Consiliarios, & Collegiales facienda, & de facultate ad eas eundi, atque manendi.

ITem statuimus, vt bis in anno (initio scilicet suorum officiorum, & fine mensis Nouembris Rector, & Consiliarij cum Curatore prædiorum, siuè factore sub pœna priuationis subsidij vnius anni visitent, & reuideant domos, ædificia possessiones, prata, & omnia alia ad Collegium pertinentia, & si qua reparatione indiguerint curent vt reparentur. Quibus etiam sub eadem, & periurij pæna præcipimus, vt eodem visitationis tempore huiusmodi pratorum, ac possessionum limites, & confinia renouent, qua parte opus fuerit saltem quinto quoq; anno cum Oeconomi assistentia; Et vt possessiones, & domus Collegij notæ sint omnibus Collegialibus, Rector, & Consiliarij iubeant, vt quisq; Collegialium intra decem menses à die receptionis suæ computandos sub prædicta pœna vtrisque imminente visitet omnes domos tabernas officinas Collegij muris Bononiensibus contentas, cui Oeconomus tèneatur omnia, & singula ad oculum demonstrare, & intra biennium vnus, quisq; pariter ab eodem tempore possessiones extra muros in agro Bononiensi existentes, visere, & cognoscere teneatur. Monstrante Rectore cum visitat quo biennio elapso, subsidio quoq; priuetur donec purgauerit contumaciam. Rectori verò Collegialibus, & alijs in dd. visitationibus detur duplum portionis quam habuissent in Collegio præter equorum expensas si opus fuerit. Item statuimus sub pœna medietatis subsidij ne quis Collegialium (præterquam tempore pestis, aut post morbum conualescendi causa, consilio medici) ad possessiones priuatim se conferat vllo tempore & mesis, vel vindemiæ totius subsidij, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in proximis electionibus, & si Rector (casibus supradictis exceptis) licentiam dederit eadem pœna puniatur. Permittimus autem, quod Collegium, dummodo non per noctet, sexies in anno diebus à Rectore designandis recreationis causa, ad dictas possessiones ire possit, & tunc prædicti Collegiales, vel etiam familiares portionem habeant duplicatam, quam habituri essent in Collegio, prohibentes ne vnquam aliquid à Socijs Collegij recipiant, & ne externos ducant secum.

STA-

STATVTVM OCTAVVM.

De electione Consiliariorum, & eorum iuramento.

ITem statuimus, vt tertio die Maij omnes, & singuli Collegiales legitimè non impediti ad pulsum campanæ, sub pœna periurij ad electiouem Consiliariorum hora, & loco electioni Rectoris deputatis conueniant; Et Rector ex paruis schedulis manu sua scriptis, nomina, & cognomina Collegialium, qui saltem antè annum integrum in Collegium fuerint recepti (præter Rectorem, & Consiliarios superioris anni, qui maiore parte anni consulendi munere functi fuerint) continentibus à se prius intelligibili voce coram omnibus lectis, & cera inclusis pillulas faciat, ex quibus quatuor extrahantur per aliquem ex Capellanis, & quorum nomina in ipsis reperiantur, ij sint eo ipso, habeanturq; Consiliarij hacque forma semper electio Consiliariorum fiat nisi numerus Collegialium fuisset adeò exiguus, vt solum duodecim reperirentur, tunc enim omnes etiam Consiliarios excepto Rectore anni præteriti ad sortes mitti volumus. Item si quis Consiliarius ab Vrbe per mensem absit, alius in eius locum (vt mense Maio diliguntur Consiliarij) subrogetur, & quando redierit absens non recuperet officium. Qui omnes Consiliarij in manibus Rectoris tactis Sacrosanctis Euangelijs iurabunt statim se huiusmodi statuta bona fide seruaturos, ac vt ab alijs seruentur Curaturos, quantum quidem ad munus susceptum pertinebit, & in eius administratione diligentiam, ac fidem adhibituros, nec odio, amore, prætio, aut præcibus ab officio, vel Iustitia discessuros.

STATVTVM NONVM.

De receptione Oeconomi, ac de illius iuramento, & salario.

ITem quia longa plurium annorum experientia compertum est, vt res ipsa demonstrat, bonorum Collegij administrationem debere fieri diuersimodè, quam hucusq; nam cum multis ab hinc annis in eo paucissimi fuerint semper Collegiales, & iuxtà eiusdem statuta quicquid superest, debeat in annuos reditus erogari, tantum abest, vt ipsum lucupletius sit factum quod primitiuę illius possessiones (administrantium incuria) longè deteriores in dies fieri dignoscantur, minusq; fructificent quam nunc possent, & anteà solebant. Et licet tot iteratis visitationibus, quam diligētissimè cautum sit vt ministrantibus Collegialibus (prout hactenus) deligens, & exacta fieret administratio: nunquam potuit obtineri; ex quo non solum ipsi Collegio; sed etiam Collegia-

lium

lium moribus, & ſtudijs, ac conſtitutionum obſeruantiæ irreparabilia damna prouenerunt. Ideo tanto huic malo mederi cupientes, & ne Collegiales rebus Oeconomicis ac familiaribus implicati ab ſtudijs diſtrahantur; ſed in rem literariam liberius incumbant ſtatuimus vt pro adminiſtratione rerum Collegij à D.Cardinali Protectore deputetur Oeconomus Hiſpanus,aut Italus dum tamen de corpore Collegij non ſit,neq; familiaris DD.Cardinalium Hiſpanorum Romæ commorantium, ad hoc munus ſubeundum aptus, & idoneus, fidelis, vigilans, rationum, & calculorum regiminis domus, & contractuum agriculturæ peritus, qui miniſterium ſuum per triennium exerceat, & ſi fideliter, ac vtiliter ſe geſſerit, finito tempore poſſit ſepiùs confirmari; antè cuius admiſſionem fideiuſſores idonei recipiantur; ipſum ſingulis annis rationem redditurum, & in manibus Rectoris præſente notario iuramentum præſtabit, ſe miniſterium ſuum abſq; fraude, & cum fidelitate obiturum, omni diligentia adhibita Rectori,& Collegio in rebus ad ipſius regimen, & ad ſuum officium ſpectantibus obedientiam præſtiturum. Iura, & priuilegia Collegij defenſurum, & quamdiù ipſius adminiſtrationem habuerit, omnia quæ ſciuerit, ſeù crediderit ei nocitura; quam citiſſimè poterit indicaturum, nec contra Collegium, vel eius honorem per ſe vel per alium quicquam facturum, niſi ſuorum, vel ſua iura proſequendo; ſtatuta Collegij quatenus ad ipſum ſpectent, ſeruaturum, & Bononia non diſceſſurum, quoad vſq; dati, ac accepti; Vniuerſæq; adminiſtrationis plenam, & integram reddiderit rationem. Salarium, & victus ipſius relinquuntur arbitrio D.Cardinalis Protectoris, dum tamen (præter equum expenſis Collegij emptum, & ſuſtentatum) ſummam tercentorum ſcutorum monetæ Bononienſis non excedant; cuius quidem ſalarij tertia pars in principio cuiuſque anni ſoluatur tertia poſt ſex menſes, & reliqua poſt annum completum, & redditam ab eo adminiſtrationis illius anni integram rationem.

STATVTVM DECIMVM.

De Officio Oeconomi.

OFficium Oeconomi erit poſſeſſiones, prata, domus, Tabernas, & omnia quæ fuerint ſimilia locare, pacta, & conuentiones, cum Socijs poſſeſſionum facere, & ſi quis eorum expelli contigerit id notum facere; & de nouo Socio prouidere, cæteraq; omnia curare, quæ Collegio expedire videbuntur tam extrà, quàm intrà Vrbem, ſemper tamen adhibita voluntate ſuperioris, vt infrà dicetur locationes pratorum, & poſſeſſionum fient, (ædictis publicis ad valuas Collegij, Palatijq; communis Bononienſis, & alia conſueta

loca præfixis) publica subhastatione præcedente per triennium nisi ad longius, vel breuius tempus expedire videatur; quas locationes, & earum contractus, cæteraq; concernentia Oeconomus Rectori, & Consiliarijs proponet, ex eorumque consensu omnia locationum Instrumenta, & contractus fient, & quicquid ab ipsis (nemine discrepante) factum fuerit à Collegio gestum, & actum intelligatur, indiscordia verò suffragiorum toti Collegio proponatur, & eius, seù maioris sententia executioni mandetur. Si sinè dispendio, & cum vtilitate Collegij habito respectu ad recollectionem fructuum qui percipi possunt, & procedunt ex Societate possessionum (affictus reduci possint ad certam summam, & pecuniæ quantitatem; hoc fieri Oeconomus curet; præcedente tamen, (vt supra) auctoritate Rectoris, & Consiliariorum, seù Collegij respectiuè; euitaretur enim fraus, quod in receptione fructuum contingere potest, & facilius ad expensas ordinarias, & extraordinarias quæ necessariò occurunt prouideretur reseruata semper in dictis locationibus possessionum frumenti, & vini quantitate regulariter necessaria ad illius anni sustentationem. Quod si forma antiqua Societatis continuetur Oeconomus curabit vt recollectiones fructuum fideliter ac debitis fiant temporibus, & in horreis, ac Cella vinaria Collegij reponantur; Vocato vno, ex Consiliarijs quem Rector, & Collegium nominauerit; qui totius recollectionis in libro separato introitum describat, vt tempore reddendæ rationis melius constet de quantitate fructuum collectorum; Solusq; Oeconomus claues horreorum ac Cellæ vinariæ habebit, & ad distribuendas vini portiones poterit adiuuari ministerio expenditoris, vel alterius ex Collegij famulis; Tempore autem recollectionum, & seminandi curabit Oeconomus personaliter assistere, & prouidebit, si per se cum assistentia factoris non sufficiat de fideli, & idonea persona quæ dictis recollectionibus intersit, ac per se frequenter possessiones visens conabitur (si opus fuerit) vt earum domus reparentur, & plantis, arboribus stercore, omnibusq; necessarijs prouideantur animaduertentes, an opportunis temporibus solitisq; interuallis sementes fiant; ligna cedantur, & opus omne exerceatur, neuè contra pacta, & conuentiones arbores incidantur; vel aliud damni fiat. Præcipimus autem Oeconomo, sicut etiam Curatori, & alijs Officialibus, ne munus aliquod accipiant à Socijs seù Conductoribus possessionum, domorum, vel apothecarum Collegij. Res verò quas venundari Collegio expediet, describet omnes, e Rectoris notitia præcedente, venditiones, seù compensationes ex fructibus faciet prout alij viri prudentes Bononiæ facere solent, qui si opus fuerit poterit etiam commodare, seù potius mutuare frumentum, vel alia grana possessionum Socijs, dabitq; operam, vt opportuno tempore de his, quæ ad victum, & sustentationem pertinent veluti frumento, vino, oleo, lignis, ac similibus Collegium commodè, & copiosè prouideatur, & peculiarem diligentiam adhibebit, rerum emptionibus,

bus, quæ maioris momenti erunt personaliter inter esse. Item sumptus iuxtà formam constitutionum de ipsis loquentium ad victum, & res necessarias circumspectè, vtiliterq; fieri studeat, nihilq; comparet nisi præsente pecunia, & similiter curabit aliquando videre carnes, nè aliquid fraudis impondere vel bonitate fiat. Rationes expensarum ab expenditore singulis diebus exposcat; quas, & omnes alias quomodolibet factas, quocumq; trimestre Rectori, & Consiliarijs simul coniunctis reddere teneatur; Refectiones etiam domorum intrà, & extrà Vrbem cæterosq; sumptus necessarios faciet, dum tamen absq; consensu Rectoris, & Consiliariorum, vel Collegij vt supra in vna fabrica plusquam libras quinquaginta, nec in pluribus vltrà centum, & quinquaginta non expendat in anno; faciet pariter solutiones Officialium Creditorum famulorumq; Collegij semper ab omnibus apocam, seù fidem solutionis recipiendo; Item antequam mensis Maij cuiuslibet anni elabatur mittet summarium rationis redditæ duodecim mensium D. Cardinali Protectori cum relatione plena status rerum Collegij ad suam administrationem pertinentium, vt ità facilius à dicto D. Protectore prouideantur, quæ fuerint necessaria. Item Sancimus, vt Oeconomus habeat librum, in quo omnes pecuniæ reddituum illius anni vndecumque perceptæ (vt moris est) ordine describantur. Nec debita Collegij quantumcumq; antiqua sint, aut irrecuperabilia videantur permittat aliquo modo deleri; Sed ea in libro Oeconomali describat notato libri, vndè describuntur foliorum numero, vt facilius in originali quolibet debitum probetur, & appareat. Si verò propter Oeconomi dolum, vel negligentiam, aliqua debita, tempore suæ admissionis contracta non fuerint recuperata, seù iudicialiter exacta ipse teneatur; quolibet anno intra mensem Augusti proximè sequentem recuperare, quod si secus per ipsum factum fuerit; de suo damnum Collegio resarcire teneatur. Qui etiam omnes expensas ordinarias, & extraordinarias tam perse, quam per quoscumq; alios, in quibuscumq; rebus factas, & quicquid impensum ab illo tam pecuniarum, quam aliarum quarumcumq; rerum ad Collegium quouis modo pertinentium in alio libro planè, & clarè per distincta capita sub proprijs titulis, cum die, mense, & anno, (prout fieri consueuit) vt quilibet intelligere possit, fideliter scribat. Suppellectilem, quæ pro cubiculis, & toto Collegio necessaria erit iuxtà formam statutorum emat, & cum opus fuerit renouet, eamq; totam suis locis assignatam proprio libro describat, seù inuentarium conficiat rationem illius suo tempore redditurus. Et ne vlla detur occasio, ob quam in priuatam Oeconomi, vel alterius vtilitatem bona Collegij conuertantur, ordinamus, vt Arrendatarij, seù fructuum emptores pecuniam pro quibusuis Collegij reditibus, seù alia causa debitam soluturi eam ad montem Pietatis bancum, seù depositarium à D. Cardinali Protectore destinatum deferant; ibiq; deponant, data sibi schedula summam, debitorem sol-

uen-

uentem, & vndè processerit, referente, qua in libris Oeconomiæ relicta, tradet, tunc Oeconomus dicto debitori apocham de quantitate recepta, vt ità pœnes Oeconomum, nunquam pecuniam reperiri contingat: Pro extrahenda verò à prędicto monte, bancho, seù Depositario, ad Ordinarios tantummodo sumptus dabit Rector schedulas post cuius subscriptionem, & Oeconomus inferius se subscribet, dum tamen summa ducentas libras non excedat, si verò maior fuerit tunc huiusmodi schedulæ erunt etiam à Consiliarijs subscribendæ pecunia autem in quacumq; quantitate à Monte, Bancho, seù Depositario extrahatur semper erit Oeconomo tradenda ad cuius fauorem omnes schedulæ fient. Quando ab Aromatario, consulente, medico, aliquid petendum sit, à Capellano infirmario, vel Oeconomo schedula subscribatur cum die mense, & anno, & causa rei accipiendæ fideliter expressis; nec ipsi Aromatario, credita, medicamentorum soluantur; nisi præuia ipsius medici taxatione. Prætereà curabit Oeconomus, vt omnia prata Collegij circumscripta, & mensurata secundum veros, & nouos limites per ordinem, per petias, & per numerum tornaturarum, vt Bononienses loquuntur; ac similiter omnes aliæ possessiones, Agri, & numera præscribantur in duabus, vel pluribus tabulis quæ in bibliothecæ muro, vt eas quisq; legere possit appendantur.

STATVTVM VNDECIMVM.

Quod nullus Officialis in annum sequentem iterum deligatur, & de ambitu vitando.

ITem statuimus, vt nullus Collegialis quantumcumq; idoneus fuerit; vltra annum in eodem officio manere; seù ad idem officium iterum in proximum annum eligi, vel assumi valeat quoquo modo; Si alij habiles fuerint inuenti. Consiliarium tamen in Rectorem assumi non prohibemus Rector verò ad nullum officium consequenti anno assumatur nisi desint, qui possint mitti ad sortes ad officia Consiliariorum; Si quis autem per se vel per alium, seù alios verbo aut scriptis Rectoris, vel aliud quoduis officium ex prædictis ambierit, aut sibi, vel alij, seù alijs pretio præcibus, fauore alioue quouis modo quæsiuerit; Vltrà pœnam periurij, quam incurrent, ad huiusmodi Rectoris, & alia quæcumq; domus, & Collegij officia sit in perpetuum inhabilis pro prima vice, & si postquam iam officium fuerit adeptus de ambitu dictisq; rebus constiterit, vltra pœnas modo dictas officio priuatus. Salarium etiam ex eo receptum, & vnius anni prouisionem perdat, & restituere compellatur; Secunda verò vice prædictæ pœnæ duplicentur; Tertia verò à Collegio pœnitus expellatur, nunquam in id modo aliquo recipiendus;

Volentes pœnas omnes ſupradictas incurrere, eos quoq; qui talium conſilia, ſiuè conatus ſcientes Rectori, & illo non puniente D. Cardinali Protectori, vel Viſitatori fideliter non indicauerint.

STATVTVM DVODECIMVM.

De Prædiorum Curatore.

ITem ſtatuimus, vt Collegium habeat vnum prædiorum, atq; frugum curatorem (quem Bononienſes factorem vocant) diligentem fidelem, qui etiam Bononienſis eſſe poſſit, & adiuuet Oeconomum ad curam continuam omnium, ac ſingularum poſſeſſionum pratorum, domorum, apothecarum aliarumq; Collegij rerum, & vt vinum, frumentum, cœteriq; fructus, & ligna ad vſum Collegij neceſſaria, congruis temporibus Bononiam conuehantur; qui etiam curet cellam vinariam, dolia, vina conficienda, & conſeruanda, triticum molendum, & reliqua id genus Oeconomi iuſſu cui in omnibus ſupradictis, ac in alijs ad vtilitatem Collegij pertinentibus, & ad officium ſuum ſpectantibus obedire teneatur; Et quia poſſeſſiones Collegij ſunt complures, & diſtantes inter ſe, habeat Collegium duos equos, vel mulas, quibus Rector Collegiales, Oeconomus, & curator inuehantur cum fuerit ad poſſeſſiones eundum. Hic quoq; curator initio antequam, ad res Collegij curandas, accedat, iurabit in manibus Rectoris tactis Sacroſanctis Euangelijs præſentibus Conſiliarijs, ſe huiuſmodi officia, & omnia, quæ ſibi committentur, & iubentur fideliter, ac ſinè fraude obiturum habeatq; pro ſalario quolibet anno quod Rector Conſiliarij, & Oeconomus cum ipſo conſtituerint in eius receptione per eoſdem facienda de fidelitate prius præſtita cautione.

STATVTVM DECIMVMTERTIVM.

De famulis Collegij, eorumque miniſterijs, Salario, & cautione præſtanda.

Item habeat Collegium coquum idoneum cum ſuo ſubcoquo, qui ipſum adiuuet in omnibus rebus coquinarijs, & vnum famulum expenditorem ſcientem ſcribere, qui curam habeat emendi carnes, & cœtera quæ ad communem vſum, aut victum ſint neceſſaria, ac faciendi, & diſtribuendi portiones ſingulis qui quotidiè ſchedulam expenſarum à ſe factarum Oeconomo Collegij tradat. Habebit etiam quinque famulos alios quorum vnus propter hono-

honorem Rectoris ad seruitium eius deputetur, qui curam gerat portas claudendi, & aperiendi hora consueta; Duo communes sint Collegialium qui lectos aptent, & cubicula verrant; Quartus curabit iumenta Collegij, & stabulum. Quintus erit senex aliquis pauper, qui verrat domum, & assideat ad ianuam Collegij, nec permittat pueros qui obstrepere solent studentibus Collegialibus ingredi Collegium; Qui omnes famuli excepto coquo, & subcoquo portiones siuè fercula portent in triclinium; Et in mensa omnibus discumbentibus, ministrent quorum vnus arbitrio Rectoris triclinij ministerio assignetur, & eorum cuilibet pro salario detur, quod cum eo Rector, & Oeconomus constituerint; ipsorum tamen nemo sine idonea cautione de sua fidelitate (vt moris est) in Collegium recipiatur; Quam cautionem Oeconomus antè eius receptionem sub pœna quadraginta librarum Bononiensium, ac restitutionis damni, si quod fecerit propter cautionem non præstitam recipere teneatur, & quando ab aliquo officialium, vel famulorum aliquid contra vtilitatem Collegij fieri animaduerterit Rectori enunciet, vt expellatur, vel de remedio prouideat. Hi famuli omnes Oeconomo supradicto diligenter obediant, & si inobedientes fuerint is Rectori deferat, cui punitionem, & expulsionem eorum reseruamus. *Præter hos autem nullus in Collegio alium posit habere famulum; etiam proprijs expensis;* Rectoriq; & Collegialibus præcipimus, nec cum exierint à Collegio se comitari permittant à prædictis famulis nisi ex iusta, & legitima causa quam Rectoris arbitrio committimus.

STATVTVM DECIMVMQVARTVM.

De Medico Chirurgo, Notario, Procuratore, & eius iuramento ac de negociorum Gestore, Tonsore Lotrice, eorumq; salarijs.

ITem habebit Collegium Phisicum, seù Medicum conductum salario competenti (dummodò vnius anni salarium centum viginti librarum summam non excedat) vel potius, vt moris est, dentur ei quinq; tritici corbes, & vuarum vna castellata in vindemia; Qui omnes Collegij domesticos ægrotantes saltem semel in die visitare teneatur, circa quemlibet diligentiam adhibendo; Vnum quoq; Chirurgum habeat cui pro salario detur vuarum vna Castellata, & quinq; corbes speltæ in annos singulos; Medicus autem, vel Chirurgus qui præter publicum salarium aliquid priuatim acceperit ab ægrotantibus protinus dimittatur, & alius conducatur. Notarium habebit etiam, coram quo fiant omnia instrumenta, quæ fuerint Collegio necessaria, cui pro salario dabuntur tritici corbes quinque, cum vna vuarum castellata. Habere pariter poterit, quando fuerit necessarium vnum Procuratorem ad dili-

genter procurandum, atq; fideliter agendum omnes Collegij lites, & causas, qui antè sui receptionem iurabit se iura, & priuilegia Collegij quoad poterit defensurum, & ipsi quandiù eiusdem erit Procurator, enunciaturum quam citò poterit, bona fide omnia quæ sciuerit, aut crediderit grauiter eidem esse nocitura, nihil dando amicitiæ, odio, consanguinitati, affinitati, gratiæ, vel fauori, nec contra dictum Collegium, statum aut honorem ipsius per se, vel per alium quicquam facturum, nec ad hoc Consilium, auxilium, patrocinium, vel fauorem, cuiquam præstiturum, nisi suorum iura suáuè prosequatur, cui similiter pro salario dentur quinq; corbes frumenti, & vna castellata vuarum, permittimus, etiam vt Collegium habeat in Curia Regis Catholici vnum negociorum gestorem ad negocia procuranda, & litteras Collegij ad Præsentatores dirigendas, eiq; pro salario dabitur quolibet anno quod Rectori, & Consiliarijs visum fuerit, dum tamen summam centum librarum bononiensium non excedat. Vnum tonsorem qui semel singulis septimanis veniat cum vno adiutore ad Collegium, vt det operam Collegialibus (Capellanis, & famulis expeditius) & commodius cui dentur pro salario libræ quinquaginta Bononien. singulis annis, & vnam lotricem, quæ semel singulis hebdomadis lauet, & mund.t omnes pannos Collegij cui Rector, & Oeconomus prouideant, de salario competenti.

STATVTVM DECIMVMQVINTVM.

De conseruatione instrumentorum, & scripturarum. De sigillis Collegij, & inuentarijs faciendis.

ITem statuimus, vt in Sacristia Capellæ, sit semper vna arca, quæ quinque clauibus obcludatur quas habeant Rector, & Consiliarij, in qua reponantur, & fideliter conseruentur. Instrumenta omnia, priuilegia, & scripturæ authenticæ Collegij in saccis diuersi coloris, & eorum omnium inscribatur index in Tabula, quæ muro bibliothecæ appendatur. Instrumenta tamen, & priuilegia ipsa archetypa, siuè originalia nunquam extrahantur. Sinè magna, & graui necessitate; exempla verò omnium authentica in eadem arca reponantur, et cum oportuerit, producantur neq; id fiat nisi necessitas persuadeat, & si extracta fuerint; statim eodem referantur, sub pœna priuationis medietatis prouisionis vnius anni, quam Rector, & Consiliarij incurrant ipso facto, si propter eorum negligentiam aliquod Instrumentum ex supradictis perierit, & prætereà illud de prothocollo, vel de Ciuitatis Bononiæ registris descriptum suis expensis restituere teneantur. Item in eadem arca semper sigilla Collegij conseruentur, nec vnquam aliqua scriptura sigillo Collegij

legij

legij magno sigilletur, nisi prius Collegio recitata fuerit, & maior ipsius pars obsignationi consenserit, eandemq; Rector, & Consiliarij, vel maior pars ipsorum subscripserit nisi fortè essent literæ, ad quas mittendas per statuta tenerentur; tales enim licebit Rectori cum Consiliarijs expedire; fiant insuper duo Inuentaria in quorum altero index diuinorum Officiorum ordine describatur, notenturq; calices, ornamenta altaris,& reliqua sacelli supellex. In altero vasa vtensilia suppellectilia, & res mobiles Collegij, vbicumq; sint siuè in Collegio, siuè in domibus, vel possessionibus, ac nomina, eorum, pænes quos res ipsæ sint, seù quibus fuerint proximè consignatæ fideliter describantur; Quæ Inuentaria in arca cum alijs conseruentur Instrumentis, & per primum Inuentarium Capellanus inuisitatione, mense maio facienda, vel alias in recessu (vt supra dictum est) rationem reddere teneatur per secundum, Oeconomo in principio sui Officij singula consignentur, cui consignationi subscribat rationem suo tempore redditurus.

STATVTVM DECIMVMSEXTVM.

De custodia, & conseruatione Librorum, & bibliotheca.

ITem statuimus, vt in bibliotheca per subsellia disposita omnes libri Collegij tum veteres; quibus D. Aegidius Albornotius vtebatur; tum cœteri postea comparati collocentur ordine separatim per Doctrinas. Fiat etiam index in quo omnes libri contenti in singulis voluminibus describantur principio, & fine notato, & in bibliotheca reponatur; nullusq; liber sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda extrà bibliothecam, nisi fortè ad aptandum, vel reficiendum extrahatur, nec alicui commodetur. Siuè intrà Collegium, siuè extrà quocumq; colore quæsito; Si verò Rector Consiliarij, vel quiuis alius, vt liber aliquis de prædictis alicui commodetur, aut extrahatur, consenserint; in eandem pœnam incidant, & nihilominus, si liber fuerit perditus consentientes omnes Collegium conseruare indemne, de suo teneantur, & donec satisfecerint sint priuati victu, & omnibus emolumentis, quæ accepturi essent à Collegio; cuius bibliothecæ Rector, & quilibet Collegialis habeat vnam clauem, & cum opus fuerit quisquam possit aperire modo ne quis externus absque Rectoris licentia in eam inducatur præcipimus insuper omnibus, vt libros bene tractent eosq; claudant, postquam studuerint, & vltimus quisq; remanens indicta bibliotheca, cum exierit; sub pœna duarum librarum, ostium ipsius claudere teneatur. Quicumq; verò aliquid ex ipsa subripuerit, vltrà prædictam excommunicationis pœnam sit priuatus omni iure, quod ad Collegium habuerit, & satisfactione prius facta de

de Collegio protinus expellatur. Debeatq; Rector singulis annis vsq; ad scuta viginti in libris expendere aliàs de suo salario tantumdem pro illis emendis soluere compellatur.

STATVTVM DECIMVMSEPTIMVM.

Quis ordo sit tenendus, si reditus Collegij nimium attenuentur.

ITem statuimus, vt si propter sterilitatem temporis, bellorum incommoda, vel alias ob causas Collegij reditus in tantum attenuentur; vt ad sumptus, quos hæc statuta decernunt, non sufficiant: expensæ tam ordinariæ, quam extraordinariç quantum parcæ fieri poterit, restringantur quod si neque restrictio hæc sufficeret, tunc expensæ extraordinariæ, primò deindè communes Collegialium prouisiones; tum salaria Rectoris, aliorumq; Officialium, vel etiam Medici, & famulorum subtrahantur quibus omnibus non sufficientibus quid demum faciendum sit? D. Card. Protector consulatur.

STATVTVM DECIMVMOCTAVVM.

Quid faciendum sit si Collegium pecunijs abundauerit.

ITem statuimus quod si reditus, & prouentus Collegij in tantum creuerint, vt post legitimas expensas aliquid superfuerit, conseruetur donec ad summam mile ducatorum peruenerit, & tunc prout D. Cardinali Protectori de Consilio Rectoris, & Consiliariorum videbitur, emantur possessiones vtiles, earumq; fructuum dimidia pars pauperibus, Hispanis Bononiæ cuicumq; licitæ doctrinæ vacantibus, pro eleemosina suggeratur, deturque singulis in pecunia numerata dimidium portionis, quæ datur cuicumq; Collegialium, idq; pro animabus D. Aegidij, eiusq; consanguineorum, & in hac eleemosina Hispani de Regno Castellæ alijs omnibus præferantur. Post hos Aragonenses deindè Portugallenses, tum Nauarri Valentini, & Catalani. Si verò nulli tales Bononiæ reperiantur, hæc eleemosina alijs pauperibus Scholasticis erogetur, & præcipuè Italis à quibus constat D. Aegidium honores multos, & vtilitates maximas habuisse, & si Scholastici pauperes fortè non essent, eleçmosinæ fiant Hospitalibus, Monasterijs, & præcipuè Sancti Francisci, honestisq; personis, & alijs pijs Operibus, prout ei cui Collegium submittimus Rectori, & Collegialibus videbitur.

STA-

STATVTVM DECIMVMNONVM.

De habentibus Patrocinium Collegij, & iurisdictione D. Cardinalis Protectoris, ac potestate eligendi Viceprotectorem.

ITem vt pium, & Sanctum opus optimi Viri Nationis Hispaniæ liberalitate ad commoditatem Hispanorum in aliena regione conditum fauore, & præsidio conseruetur, eorum quos in primis fas est eius gentis dignitati, atq; commodis consulere. Idcircò Hispaniæ, Castellæq; clarissimi, ac Catholici Regis fidei, ac patrocinio, & Cardinalis Hispani, qui Pontificem Romanum, eiusuè Curiam assectabitur, itaut Castellanus, & in concursu omnium vetustissimus cœteris præferatur deindè Aragonensis; postremò lusitanus, & si nullus talis fuerit in Curia eius, qui tituli Sanctæ Sabinæ sit, fidei ac Protectioni Collegium committimus, & semel electus alteri venienti non cedat obsecrantes eos, ac per deum Christum obtestantes, vt Rex eius patrocinio, ac Cardinalis eius protectione Collegium tueantur, & aduersus conatus eorum qui malum aliquod in ipsum molientur defendant, nec labefactari, annecti, vniri, aut in commendam, vel titulum cuipiam tradi, aut bona eius quouis modo diripi, vel inuadi patiantur, sed omnibus rationibus perpetuitati, dignitati, & commodis eius ad mentem conditoris prospiciant, & consulant. Ipsumque D. Cardinalem Protectorem non solum defensorem, conseruatorem, & Iudicem appellationis, & recursus, sed etiam Iudicem ordinarium in omnibus causis tam ciuilibus, quam criminalibus, vel etiam mixtis (læsæ Maiestatis, hæresis, & falsæ monetæ dumtaxat exceptis) siuè respectu Collegij, siuè Rectoris Consiliariorum, Collegialium, Officialiumq; omnium cum opportuna potestate, & Iurisdictione constituimus, & deputamus eique concedimus, vt possit arbitrio suo, & pro tempore, si voluerit designarè Vice Protectorem, in dignitate Ecclesiastica constitutum Bononiæ commorantem cum debita, & conuenienti Iurisdictione cui Rector Consiliarij, Collegiales, Capellani, Oeconomus, totumq; Collegium, & Ministri obtemperent, & obediant, qui cum fuerit opus, donec Protectorem consulat, in omnibus negocijs pro interim prouidere possit, & debeat nunquam tamen à constitutionibus recedens Gubernatores etiam; Senatoresq; Bononiensis Ciuitatis (quorum iustitia, & benignitate, amoreq; paterno in eos, qui studia literarum æmulantur gymnasium Bononiense à multis sæculis stat, floretq; Orbis terrarum celeberrimum) rogamus, præcamurq; vt idem Collegium ab omnibus malorum insidijs, fraude, violentiaq; defendant, ac instituto, & more suo tueantur; memores beneficiorum quibus D. Aegidius Albornotius ipsorum Ciuitatem est prosequutus, quam à tyrannica seruitute, cum sui consanguineorumq; periculo,

riculo, & sanguinis effusione vindicauit, ac multis ornamentis decorauit.

STATVTVM VIGESIMVM.

De Visitatoribus Collegij tempore, & ratione Visitationis, de eorundem salario potestate, ac pæna reclamantium.

ITem statuimus, vt Collegium, personæq; ipsius subijciantur D. Archiepiscopo Bononien. & Abbati Sancti Michaelis in nemore, ipsorumq; cuilibet insolidum; ità tamen, vt D. Archiepiscopo visitare volente alter ad visitandum non admittatur, & si in visitando fuerint ambo negligentes, eorum negligentia suppleatur per Archidiaconum Bononien. Tunc autem D. Archiepiscopus negligens habeatur; Si vsq; ad decimamquintam diem mensis Maij, & Abbas si vltimis quindecim eiusdem diebus neglexerint visitare, & ne per obliuionem, vel alias visitatio huiusmodi impediatur, aut differatur Rector, & Consiliarij sub pœna priuationis vnius anni à Collegio teneantur requirere, & rogare D. Archiepiscopum Bononien. per aliquot dies ante mensem Maium, & Abbatem statim post quintumdecimum eius diem. Si D. Archiepiscopus non visitauerit. Archidiaconum verò in principio mensis Iunij, quos vehementer rogamus, & obsecramus, vt domum, & Collegium mense Maio (vt supradictum est) visitent annis singulis, ac in vitam, mores, consuetudinem, & Regimen Rectoris Consiliariorum, Collegialium, Capellanorum, Officialium, aliorumq; Collegij domesticorum, ac in omnibus alijs, quæ correctione, & reformatione indiguerint tam in capite, quam in membris simpliciter, & de plano sinè strepitu, & figura Iudicij inquirant, corrigentes, & reformantes quæ viderint corrigenda, & reformanda, & an exercitia literaria fiant diligenter aduertant; ne inutiles loca occupent aliorum qui magis fortasse proficerent. Habeatq; D. Archiepiscopus loco cœnæ aut prandij à Collegio singulis annis, quibus ipsum visitauerit duos aureos: pro labore, autem Abbatis omnes Collegiales simul in eius Ecclesiam, seù Monasterium omni anno, quo visitauerit procedant in festo apparitionis S. Michaelis, & singuli offerant vnam candelam valoris decem solidorum expensis Collegij Archidiaconus verò cum per negligentiam aliorum visitauerit, habeat à Collegio in confectionibus, siuè bellarijs vsq; ad vnum aureum; Cum autem D. Archiepiscopus absfuerit Bononia. Vicarius eius generalis in prædictis ei accedat. In qua visitatione (vel extrà vbi statuta disponunt) si quis inuentus fuerit deliquisse in aliquibus Rectoris, & Consiliariorum non commissis arbitrio eum corrigendi, puniendi, suspendendi vel etiam de Collegio expellendi secundum merita delinquentis, eis, vel ipsorum cuiq; qui dictam Inquisitionem fecerint liberam concedimus potestatem; à qua punitione correctione,

ne, ſuſpenſione, vel de Collegio expulſione nullus valeat ad effectum ſuſpenſiuum appellare, ſeù ad aliquem Superiorem, vel Iudicem in iudicio, ſiuè extrà recurrere, aut fauores interponere, vel quodcumque aliud remedium quærere; quominus correctio, punitio, ſuſpenſio, ſeù expulſio de Collegio ſuum plenum ſortiatur effectum. Item ſupradictis Viſitatoribus concedimus plenam poteſtatem ſtatuendi, præcipiendi, & reformandi cum conſenſu maioris partis Collegij omnia, & ſingula, quæ ad ipſius vtilitatem, & bonum regimen pertinere videbuntur dummodò his ſtatutis non derogent contradicant, vel obuient quoquo modo.

STATVTVM VIGESIMVMPRIMVM.

De poteſtate Viſitatorum circa cauſas, & bona Collegij, & quid faciendum ſit contra volentes aliquid de Collegio occupare.

ITem ſtatuimus, vt in cauſis, & negocijs Collegij quibuſcumq; Criminalibus Ciuilibus, vel mixtis (læſæ Maieſtatis, hæreſis, falſæ monetæ, receptionis, vel admiſſionis, & approbationis probationum Scholaſticorum admittendorum in Collegio cauſis dumtaxat exceptis) non ſingulares perſonas Collegij priuatim, ſed publicè Collegium attingentibus quoquo modo idem D. Archiepiſcopus, vel eius Vicarius generalis; Viſitator prædictus quocumq; tempore adeatur, & nullus alius Iudex niſi authoritate Apoſtolica munitus (excepto D Cardinali Protectore) poſſit ſe in præmiſſis ingerere, quod ſi ſecus actum fuerit decernimus irritum, & inane; Et licet Viſitatores præfati facultatem habeant malè alienata recuperandi, nullum tamen eis ius ſit quicquam de bonis Collegij mobilibus, vel immobilibus vendendi, permutandi, pignorandi, mutuandi, commodandi, ſibi ſumendi, vel occupandi, aut quomodolibet alienandi lato ſumpto vocabulo. Imò Rectori, Conſiliarijs, & ſingulis Collegialibus ſub pœna periurij, & priuationis Collegij, quam incurrant ipſo facto, præcipimus, vt ſi per D. Archiepiſcopum prædictum, vel alium quæmcumque in bonis etiam mobilibus Collegij ne dum immobilibus, vel iure, & priuilegijs contingat aliquid ex ſupradictis attentari ſtatim ſinè mora per duos quos Collegium elegerit, rem, iniuriamque deferant ad Summum Dominum Noſtrum Papam, & Cardinalem Collegij Protectorem, ipſorumq; fidem, & Officium implorent, ac negocium vſque ad finem vrgeant, & proſequantur, & ſi opus fuerit Potentiſſimo, & Catholico Hiſpaniarum Regi, cuius fidei, & patrocinio Collegium creditum eſt, hoc notum faciant, eique explicata cauſa ſupplicent; vt ſua apud Summum D. N. Papam interpoſita authoritate Collegium in huiuſmodi negocio eius patrocinio tueatur.

QVINTA DISTINCTIO.

VBI congeruntur quædam vtiles prohibitiones, & pœnæ delinquentium, & forma communis Præsentatoribus, & generalibus gymnasijs à Rectore, & Consiliarijs mittenda.

STATVTVM PRIMVM.

De pœna Blasphemantium, vel per Deum ac Sanctos passim, temereq; iurantium ac turpia verba loquentium.

QVoniam in hac honesta, & Sancta domo decet, vt omnes honestæ non modo viuant, sed etiam loquantur, ideò statuimus, vt Blasphemantes Deum, vel Sanctos prima vice vno scuto aureo, secunda tribus diebus compedibus, & carcere detineantur; Tertia arbitrio Rectoris, & Consiliariorum puniantur. Iurantes verò per Deum, Virginem Mariam, vel alios Sanctos passim, ac temere, aut turpia verba loquentes idem Rector arguat, & reprehendat, ac arbitrio suo, & Consiliariorum puniat.

STATVTVM SECVNDVM.

De Pœna eius, qui mulierem aliquam in Collegium, vel possessiones induxerit.

ITem statuimus, & interdicimus ne quis Collegialis, aut Capellanus mulieres aliquas in Collegium inducat, seù intrare permittat quocumque prætextu etiam visitandi Capellam, vel audiendi rem sacram, & si secus fecerit, vel eas ad possessiones adduxerit, sit eo ipso priuatus Collegio, & ab eo protinus expellatur. Permittimus tamen matrem, sororem, aut ita coniunctam mulierem, cum qua naturale fœdus nihil criminis suspicari permittat, vel etiam nobilem fœminam, si de die ad visitandum, vel videndum propinquum, aut Collegium venerint introduci posse publicè, & ad tempus breue Rectoris petita, & obtenta licentia.

STATVTVM TERTIVM.

De pœna furantium aliquid de bonis, vel rebus Collegij, vel Sociorum possessionum.

ITem ſtatuimus, vt ſi quis Collegialis, Capellanus, vel domeſticus Collegij panem, vinum, carnes, aut aliquid de cubiculorum ſupellectile, vel quodcumque aliud ad Collegium ſiuè ad Socium poſſeſſionis ipſius pertinens furto ſubtraxerit, aut hoc fieri conſenſerit, vel Conſilium ad id, fauorémque dederit aut ſciens ad Rectorem non detulerit; ſi valorem vnius libræ bononienſis non excedat dimidia vnius anni prouiſione, ſit ipſo facto priuatus pro prima vice, pro ſecunda verò, vel ſi illud in prima vice valorem d. libræ exceſſerit, vltrà reſtitutionem, quam furator læſo facere debet ipſe, & conſentientes prouiſione vnius anni ſint ipſo iure priuati pro tertia verò vice, aut ſi iterum depræhendatur in delicto ſimili, quod vnius libræ valorem excedat; Vltrà pœnam periurij, in quam incidat ipſo facto pellatur pœnitus à Collegio. Quin etiam ſi res prima vice ſubtracta valorem exceſſerit librarum quinque bononienſium, vltrà pœnam periurij ſit eo facto priuatus omni iure, & commodo Collegij, & vſque ad ſatisfactionem rei ablatæ in vinculis cippi cuſtodiatur, & poſt ſatisfactionem de Collegio protinus expellatur.

STATVTVM QVARTVM.

De pœna portantium arma, & percutientium aut ad percutiendum capientium.

ITem ſancimus, vt nullus Collegialis arma etiam largè ſumpto vocabulo, tam defenſiua, quam offenſiua niſi in caſu licito, ac præuia licentia Rectoris, & Conſiliariorum deferre poſſit. Quod ſi detulerit, ſiuè retinuerit tam intrà, quam extrà Collegium archibugietta parua duorum palmorum minoris, vel maioris menſuræ, ſit ipſo facto Collegio priuatus, & ab eo pellatur omninò. Si verò armis Collegialem, Capellanum, aut Oeconomum quiſquam percuſſerit; etiam ità leuiter, vt nullus indè ſanguis profundatur, Collegio priuetur. Quod ſi non percuſſerit, ſed arma percutiendi animo ſumpſerit ad duos menſes à Collegio expellatur; is autem percutiendi animo ſumpſiſſe intelligatur, qui ſtatim poſt verba contumelioſa, vel iram indicantia ſumpſerit. Qui autem percuſſerit externum ſi extrà Collegium quatuor ſi intra ſex menſibus Collegio ſit priuatus nullum interim emolumentum ab eo

capturus. Item si quis Collegialis procurauerit aliquem ad certamen singulare animo deliberato, aut prouocatus venerit, seù conditionem acceptauerit, aut si quis se prouocasse gloriabitur priuatione Collegij puniatur. Qui tamen non deliberato animo, sed in ipsa rixa verbotenus prouocauerit, aut prouocatus acceptauerit conditionem, vlterius non progrediendo ad mensem pellatur à Collegio.

STATVTVM QVINTVM.

De pœna Verbis rixantium, & ad verbera sine armis procedentium, aut alteri parti fauentium.

ITem statuimus, vt Collegiales, seù Capellani verbis in Collegio, vel extrà rixantes, arbitrio Rectoris, & Consiliariorum puniantur. Quos omnes, qui aderunt ad concordiam quantum poterunt, reuocare teneantur. Si quis autem rixantium placari noluerit, aut in gratiam redire admonitus à Rectore, & Consiliarijs recusauerit teneatur statim exire Collegium extraque manere cogatur, quamdiù in sua contumacia perseueret, in qua tamen si vltrà sex dies perseuerauerit, nec resipiscat monitus à Rectore, ter publicè in triclinio si coram fieri commodè non possit, à Collegio pœnitus expellatur; Quas tres monitiones Rector facere septimo, octauo, & nono die contumaciæ sub poena excommunicationis latæ sententiæ debeat, vt omnes Collegiales ad pœnam exequendam ei fauere sub pœna periurij, & priuationis subsidij vnius anni teneantur omninò. Si verò processerint ad verbera sinè armis, & non fuerit sanguinis effusio quinque diebus agressor in cippum conijciatur saltem vno pede, & die quarta solutus panæ, & aqua coram omnibus in prima mensa faciat pœnitentiam, in tertia vel in quarta tabula, nisi forte colaphum incusserit Collegiali Capellano, vel Oeconomo, aut virga, ligno, vel arundine, & similibus percusserit, animo inferendi iniuriam quia pro tali delicto volumus, vt à Collegio protinus, sit expulsus, & si quis alteri rixantium fauerit, vel præstiterit auxilium eadem pœna qua principalis puniatur.

STATVTVM SEXTVM.

De pœna maledicentium, & susurrantium.

ITem statuimus, vt si quis de Collegio Collegiali Cappellano, vel Oeconomo in Collegio, vel extrà conuitium dixerit, aut ipsi detraxerit, ex qua detractione sequi possit in famia arbitrio Rectoris, & Consiliariorum puniatur,

niatur, si quis porro ad alterum detulerit, se audiuisse ab aliquo verba contumeliosa, vel diffamatoria, de eo seuerè etiam puniatur.

STATVTVM SEPTIMVM.

De pœna falsi testis, ac eius qui in periurium incurrit horum statutorum vigore & eius, qui Rectori non obedierit in licitis, & honestis.

ITem statuimus, vt si quis Collegialis, vel Capellanus in aliqua causa testis iuratus falsum dixerit, pro prima vice prouisione duorum annorum, pro secunda ad annum, pro tertia in totum à Collegio pellatur. Qui verò suæ salutis immemor periurium vigore horum statutorum ter incurrerit (quod nunquam incurri declaramus, nisi in casibus, in quibus statuta sub pœna periurij; Vel Rector sub pœna præstiti aliquid fieri præcipiunt, vel prohibent) & legitimè admonitus à Rectore non redierit ad sanitatem à Collegio tanquam incorrigibilis sit expellendus. Qui autem pœnam à Rectore, & Consiliarijs coniunctim, vel diuisim sibi ex statutis, vel iuxtà eadem ipsorum arbitrio impositam subire recusauerit, pro prima vice, pœna illi duplicetur, pro secunda ad annum, pro tertia expellatur pœnitus à Collegio.

STATVTVM OCTAVVM.

De pœna Ludentium talis, aut chartis.

ITem quia talorum, chartarumque ludus turpis habetur, quippè ex quo blasphemiæ, mendacia, periuria rixæ pleraque alia incommoda nascuntur; ideò statuimus, vt nullus Collegialis, Capellanus, aut Collegij famulus in Collegio præsertim ludat talis, aut chartis; qui contra fecerit, pro prima vice prouisione duorum, pro secunda quatuor mensium priuetur, pro tertia acrius etiam à Rectore, & Consiliarijs puniatur, & si fuerit famulus de Collegio pellatur. Quod si animi relaxandi gratia in cubiculo Rectoris chartis aliquando, vel etiam in fæstis Natalis Domini vsque ad Epiphaniam ludere visum fuerit, Rectoris arbitrio relinquimus eius in hoc conscientiam onerantes ita tamen, vt forensibus non liceat, nec domesticis, vltrà dimidium noctis; contrarium verò si Rector permiserit pro qualibet vice mulctetur sex libris ex ipsius salario. Permittimus etiam, vt eiusdem Rectoris licentia priùs petita, & obtenta (& non aliàs sub pœna vnius libræ Bononiensis, pro vice qualibet imponenda cuilibet Collegiali, aut Capellano contrarium facienti) possint diebus festiuis post prandium, dum clausum est Collegium, in eo pila ludere

dum-

dummodò moderatè,& ad breue tempus fiat. Prohibentes, ne quis externus possit in Collegio prædictis ludis etiam pilæ ludere.

STATVTVM NONVM.

De pœna canentium lyra, aut alijs instrumentis tripudiantium, & eorum, qui personati exeunt, vel ingrediuntur, item cellam vinariam, vel coquinam intrantium, vel aliquid de suppellectile Collegij sibi sumentium.

ITem statuimus, & expresse prohibemus, nè musicorum instrumentorum, vocumque cantus fiant per Collegiales, Capellanos, vel alios in Collegio, nisi quis animi relaxandi causa in suo cubiculo; sinè molestia, seù incommodo Collegialium, aut vicinorum canere, vel sonare voluerit. Similiter prohibemus tripudia, choreas sicut etiam Collegiales personatos fieri, & contrafacientes Rectoris, & Consiliariorum arbitrio puniantur. Intrantes verò Cellam vinariam, siuè Coquinam, nisi causa iusta pro vice qualibet pœnam decem solidorum Bononiensium incurrant. Quæ porro dicatur causa iusta, vel secus Rectoris arbitrio stari volumus, & eamdem pœnam incurrat quicumq; aliquid de Instrumentis, aut supellectili coquo, vel famulo triclinario ad vsum Collegij assignatis sibi assumpserit.

STATVTVM DECIMVM.

De pœna venientis foribus Collegij clausis, siue per fenestram, vel parietes exeuntis, seù intrantis, aut extrà Collegium pernoctantis, & eius qui Collegio digressus per decem dies absuerit.

ITem statuimus, vt si quis Collegialis post clausas fores venerit ad Collegium, nequaquam ei aperiatur absque licentia Rectoris, & duorum Consiliariorum, ac die postero pane, & acqua coram omnibus in triclinio discumbentibus faciat pœnitentiam, quod si secundo in eumdem errorem inciderit tribus diebus idem patiatur; Sin'autem tertio puniatur totius anni prouisione. Si verò propter istas pœnas non redierit ad sanitatem de Collegio protinus expellatur. Porrò si quis clausa ianua, Collegium exiuerit aut intrauerit per fenestram, vel per parietem; vltra pœnam periurij inquam incidat ipso facto priuabitur omni iure, quod habuerit in Collegium, & ab ipso eijcietur omninò. Rector verò scienter hoc permittens, vel clauem alicuius portæ Collegij concedens alicui, vt possit de nocte latenter exirè simili pœnæ subiaceat, acrius etiam puniendus per ipsum Collegij Visitatorem. Et si quis Collegia-

legialis, vel Capellanus extra Collegium pernoctauerit, sinè Rectoris, & duorum Consiliariorum licentia speciali (quam nisi ex iusta causa puta ægritudinis, concedi alicui prohibemus, ipsorum in hoc conscientiam onerando) pro prima vice medietate prouisionis vnius anni mulctetur, pro secunda pœna duplicetur eidem, pro tertia de Collegio, sit expulsus, sin autem per decem dies sinè licentia Rectoris absuerit à Collegio priuetur omni iure, quòd habet in ipsum.

STATVTVM VNDECIMVM.

De pœna dormientis in alterius cubiculo, vel literas ad alium missas surripientis aut quoquo modo accipientis, & non reddentis, & eius qui non præcipuam operam impenderit doctrinæ ad quam in Collegio fuerit admissus.

ITem statuimus, vt nullus Collegialis, vel Capellanus in alterius cubiculo de nocte dormiat, sub pœna priuationis Collegij, nec die sub pœna vnius libræ bononiensis pro singulis vicibus, nisi forte gratia inseruiendi Collegiali palam ægrotanti, & in lecto iacenti. Item si quis literas ad alterum de Collegio missas vndecumque, vel à quocumque aperuerit, aut acceptas lacerauerit, vel ei cui mittebantur non reddiderit, intrà biduum pro prima vice prouisione vnius anni plectatur, pro secunda duorum, pro tertia de Collegio pœnitus expellatur. Qui verò relicta facultate ad quam in Collegium est admissus ad aliam se transtulerit, vel ei minus principaliter operam dederit, vltra pœnam periurij, in quam incidet ipso facto pelletur etiam à Collegio si ter monitus per Rectorem, & Consiliarios, non resipuerit. Volumus autem, quod dicti Rector, & Consiliarij ipsum ter (vt prædicitur) admonere teneantur sub pœna periurij, & librarum decem bononiensium; Quas pœnas incurrant si post decem dies, ex quo eis innotuerit ipsum Collegialem tale quid committere, eumdem admonuisse neglexerint. Statuimus etiam, vt tam hæ admonitiones, quam omnes aliæ à Rectore, aut etiam Consiliarijs adhibendæ semper fiant coram duobus Collegialibus, vel Capellanis, vt aliorum diligentia, aliorum contumacia valeat comprobari.

STATVTVM DVODECIMVM.

De pœna obtrectantium Rectori, vel Consiliarijs propter pœnas iniunctas, & contumelia Rectorem afficientium, vel in statum Collegij, aut Rectoris caput coniurantium, seù eius honori obsistentium, & Secreta Collegij enunciantium.

ITem statuimus, vt si quis Collegialis propter pœnam sibi iniunctam obtrectauerit Rectori, vel Consiliarijs, dicendo publicè quod est iniusta, eadem ipsi duplicetur. Si quis autem conuitio Rectorem affecerit, pro prima vice pœna librarum viginti bononiensium mulctetur, vel grauius pro contumeliæ magnitudine arbitrio Consiliariorum puniatur; pro secunda in annum à Collegio sit expulsus, nihil ab eo interim habiturus: pro tertia ab eodem pœnitus expellatur. Prætereà si quis Collegialis, aut Capellanus Rectorem (quod absit) percusserit, aut graui conuitio, vel contumelia affecerit, aut in caput eius, vel in statum dignitatemuè Collegij conspirauerit, sit ipso iure priuatus Collegio, & excommunicatus latæ sententiæ excommunicatione, à qua non possit absolui, nisi à D. Archiepiscopo Bononiensi, vel eius Vicario, quem obtestamur per Christum, vt memor sit officij sui, nec sinè competenti pœnitentia ità delinquentes absoluat. Qui verò secreta Collegij, quæ celari magni referat ipsius alicui enunciauerit absque consensu saltem maioris partis Collegij ad hoc legitimè congregati ipso facto, sit priuatus Collegio, & ab eo protinus expellendus. Quæ autem sint talia secreta. Si dubitetur eius sententiæ, cui Collegium subijcitur relinquatur.

STATVTVM DECIMVMTERTIVM.

De remedio contra iniuriam illatam à Rectore, & magnas Collegialium seditiones.

ITem statuimus quod si Rector, alicui grauem iniuriam intulerit possit Visitator etiam extrà tempus Visitationis adiri, vel D. Cardinalis Protector, qui cognita veritate iuxtà formam iuris, & statutorum puniat Rectorem; & quoties inter ipsos Collegiales (quod Deus auertat) magna seditio, vel discordia extiterit quæ per Rectorem, & Consiliarios sedari non possit ad supradictos Iudices recurratur. Sed si prædicti omnes iustitiam non fecerint ad Summum Pontificem confugiatur, alioquin contrarium facientes, aut alios quoscumque fauores interponentes, quærentes, vel quouis modo procurantes pro prima vice ad annum, pro secunda verò pœnitus à Collegio pellantur.

STA-

STATVTVM DECIMVMQVARTVM.

De poena Rectoris, & Consiliariorum si negligentes fuerint in pœnis infligendis, & de prouisione contra Rectorem statuta non seruantem, nec vt seruentur curantem.

ITem statuimus quod si Rector, & Consiliarij fuerint vltrà triduum negligentes in imponendo pœnas suo arbitrio iniungendas, quilibet illorum mulctetur pro qualibet vice vna libra bononiensi, & nihilominus reo pœna iniungatur per eosdem, & si secunda vice vltra aliud triduum in negligentia fuerint pœna cuilibet duplicetur eorum. Si verò pœnas statuto expressas vltrà triduum (vt dictum est) iniungere neglexerint quilibet eorum eadem quia reus pœna (si pecuniaria est) puniatur, sin'alia tribus libris bononiensibus pro vice qualibet,eorum quisque plectetur,& nihilominus pœna iniungatur delinquenti, & si in secunda vice, vel vltra aliud triduum fuerint negligentes pœna dupplicetur, vt superius est expressum; Si autem (quod absit) Rector ipse in huiusmodi statuto obseruando, vel vt ab alijs obseruetur; fuerit negligens, seù contra ipsorum statutorum formam aliquid fecerit, vel etiam consenserit statim per duos antiquiores Collegiales sub pœna periurij, si hoc facere neglexerint iuxtà veritatem euangelicam secretò admoneatur, vt à negligentia, vel incœpto desistat, & si noluerit eos audire ipsum coram duobus Capellanis Collegij, vel alijs Collegialibus admoneant. Quod si contemptis ijs admonitionibus à talibus incœptis cessare neglexerit statim dd.Collegiales teneantur D.Visitatorem, vel D.Cardinalem Protectorem adire, humiliter ipsum præcantes vt statuta faciat obseruari; Si autem huiusmodi antiquiores fuerint negligentes quilibet alius de Collegio sub, eadem pœna ipsorum supplere debeat negligentiam.

STATVTVM DECIMVMQVINTVM.

Quomodo statuta intelligi debeant.

ITem volumus, & ordinamus, vt hæc statuta intelligantur planè, & quemadmodum scriptura sonat circa ingeniosas, nimisque subtiles interpretationes; quodque in Scholasticis in Collegium recipiendis, vel ab eo expellendis nō fiat amara interpretatio.Et quoniam propterCollegialium expulsiones ad tempus de Collegio quam plura incommoda contigere cognouimus, statuimus, & declaramus statuta in quibus propter aliquod delictum, Colle-

gialibus imponitur pœna expulſionis à Collegio ad certum tempus ità eſſe intelligenda, & interpretanda, vt tantumdem de ſuo octonario diminuatur eoque minus in Collegio manere poſſint: Cumq; in hac quinta diſtinctione tractetur præſertim de pœnis imponendis, & earum nonnullæ in delictis grauibus ſint minores eis quas communè ius infligit; Declaramus in his caſibus pœnam in ſtatutis impoſitam debere intelligi, præter eam quæ à Iure communi impoſita reperiatur. Tandem præcipimus hæc ſtatuta omnino, & inuiolabiliter obſeruari prohibentes Rectori, & Conſiliarijs, ac toti Collegio ſimul, aut diuiſim, vt contra huiuſmodi ſtatuta facere, ſeù venire, aut ea temperare, corrigere, mutare, vel ab eis quicquam detrahere, ſiue addere nullatenus valeant, quicquid in contrarium factum fuerit decernentes irritum, & inanè.

Sequitur forma communis.

RElìquum eſt vt in hac vltima ſtatutorum parte ad quandam velut formam quam breuiſſimè poterimus redigamus cuncta quæ ſcire oportet præſentaturos præſentandoſque poſt hac ad hoc Collegium Hiſpanorum Bononiæ conditum auſpicijs bo: me: D. Aegidij Albornotij, quam formam mitti volumus ad ſingulas Eccleſias ad Præſulem Principemq; Virum familiæ Albornotiæ, & ad ſingulas generales Academias Hiſpaniæ in qua primum nominatis Præſentatoribus, & diſciplinis ad quas poſſint præſentare literarum formam ſubijciemus, ac quibus ex locis Scholaſtici præſentandi ſint, & quantum pecuniarum pro literis atque ſigillis daturi. IN CHRISTI NOMINE AMEN. Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis, nec non per Illuſtribus, ac Reuerendis in Chriſto Patribus DD. Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia Toletano, Hiſpalenſi, Cæſarauguſtano, Compoſtellano, Vliſſiponenſi, Burgenſi Archiepiſcopis, Conchenſi, Saguntino, Palatino, Cordubenſi, Legionenſi, Oxomenſi, Abulenſi, Salamanticenſi, Ouetenſi Epiſcopis, Decanis, Capituliſq; ipſarum Eccleſiarum quorum quidem Præſulum cum ſuarum Eccleſiarum Capitulis, ius eſt in perpetuum Scholaſticos præſentandi ad Collegium maius Hiſpanorum ſub titulo Diui Clementis Bononiæ conditum auſpicijs bo: me: Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D. D. Aegidij S.R.E. Cardinalis Albornotij Epiſcopi Sabinenſis, Archiepiſcopi Toletani, ac totius Italiæ Legati Generalis, nec non N. Albornotio Præſuli de d. familia, & Illuſtriſs. Viro N. Albornotio, Albornotiæ familiæ Principi, ad quos ſingulos etiam pertinet Scholaſticos præſentare ad Theologiæ, & Iuris canonici facultates iuxtà ſtatuta d. almi, & perinſignis Collegij omnibus alijs in vniuerſum ac ſingulis, ad quos pertinet quomodolibet aut pertinere poterit huiuſmodi præſentatio quibuſcùmque nominibus cenſeantur aut dignitatibus præfulgeant. Nos Rector, & Conſiliarij prædicti

almi

almi Collegij maioris salutem in domino. Quia non modo ex nostris statutis tenemur admonere Illustrissimas dominationes vestras, certioresq; facere de forma, & modo Scholasticos ad hoc nostrum Collegium præsentandi, sed etiam summè cupimus eorum commodis consulere quorum plerique quarumdam rerum ignoratione non mediocrem iacturam laboris, & impensæ facere. Id circo officij esse duximus Illustrissimas Dominationes vestras his literis, quo pacto deinceps ipsos præsentare debeant, admonere, & illos quomodo ad nos accedere debeant instruere, & edocere. Primò igitur Præsentati debent ad Nos afferre literas præsentatitias (quas titulos vocamus) alteras Præsulis, alteras verò Capituli, in quibus quemadmodum, & in literis procerum familiæ Albornotiæ exprimi debent nomina, & cognomina Præsentati, & vtriusque parentis ipsius locus quoq; habitationis, ac Diœcesis eorum literas autem Capituli oportet esse subscriptas Decani, aut (eo absente) proximæ dignitatis duorum etiam Canonicorum, & Notarij publici nominibus, ac capitulari sigillo signatas. Præsulum verò tituli manu, & nomine cuiusque ipsorum, & secretariorum subscribantur sigilloq; obsignentur Episcopali, quod dictum intelligatur etiam in titulis Principis Viri Albornotiæ familiæ. Si autem Præsules extra fines suarum Diœcesum, vel plus decem leucarum interuallo à suis Ecclesijs abfuerint, vt parcatur laboribus, & expensis Scholasticorum, suus cuiq; principalis in iure dicendo Vicarius in ius præsentandi succedat; dummodo in literis præsentatitijs fiat expressa mentio absentiæ Præsulis. Secundò omnes Præsentatores iure statutorum nostrorum hortamur, vt ex suis Ciuibus, vel certè Diœcesanis præsentent; qui si se non obtulerint, aut quæsiti non inueniantur licebit alios præsentare, sed ex eo dumtaxat regno, vbi ipsorum Ecclesia sita est Cæsaraugustani ex Aragonia, Vlissiponenses ex Portugallia, cœteri omnes etiam Albornotiæ familiæ ex Regno dumtaxat Castellæ latè vocabulo (vti solet) intellecto, vt Toletum etiam, atque Betica comprælendatur. Non tamen possint Scholastici ex singulis Diœcesibus, quarum Ecclesijs nullum ius est præsentandi, simul esse nisi tres ad summum in Collegio. Præterea dictos Dominos Præsentatores hortamur, vt intra octo menses à die huius monitionis computandos Scholasticos præsentent, aliàs enim facultate statutorum nostrorum vtentes in iure præsentandi præbendas ad præsens vacantes succedemus. Si verò intrà id tempus præsentauerint Scholasticos quos ipsi tanto prosequuntur beneficio, faciant per suos officiales humanè, & benignè tractari, nec ab eorum exiguitate plus dimidio ducati, pro literis extorqueri patiantur, & hactenus de Præsentatoribus, nunc autem de præsentatis, pauca dicamus. Scholasticos igitur præsentatos his nostris literis admonitos esse volumus, ne præsentatitijs titulis impetratis, & apud nos exhibitis, statim temere, ac sinè vllo delectu, se admittendos esse putent; Nam qui Vrbem incolit, cui præsit Episcopus, coram

ipſo,vel eius Vicario Generali, qui aliud Oppidum, aut Vicum coram Iudice Ordinario Eccleſiaſtico, vel Seculari, Et ſi nullus ex his fuerit ibi coram proximi Oppidi, aut Viceiudice quinq; ſaltem Teſtes Chriſtianos veteres, omni exceptione maiores eius loci, quem pater habuerit (quia genus, & res noſtras melius nouere vicini) niſi fortè dictus Pater à Patria commigrauerit aliò (nam tunc teſtes, & teſtimonia indè ſumi volumus, vbi maior pars conſanguineorum præſentati fuerint, & ideò vbi veriſimile eſt genus ipſius maximè notum eſſe per ſe, vel per Procuratorem producat quorum ſinguli iurati, & ſecretò à Iudice examinati veriſſimè teſtentur de ſequentibus. Primò de cognitione præſentati N. Patris, & N. Matris illius incolarum Oppidi de N. & de loco, vel Ciuitate, in qua dictus Præſentatus, natus fuit, & de cognitione N.Aui, & N.Auiæ ipſius ex parte Patris, & N.Aui, & N.Auiæ eiuſdem ex parte Matris, & cuius Diœceſis, & Oppidi ſint, vel fuerint. Item examinandi ſunt Teſtes ſecundum generales legis interrogationes, & ſi ex parte dicti præſentati fuerint dolo inducti præuenti, aut corrupti, vt bene de illius generis claritate teſtificarentur. Item ſi ſciunt dictum præſentatum virtutibus, & bonis laudabilibuſque moribus eſſe præditum; Itaut in tali communitate abſque præiudicio poſſit viuere, & attigiſſe ſaltem vigeſimumprimum ſuæ ætatis annum, & ſi fuerit ex Canoniſtis alterutri Iuri ſi verò ex Theologis artibus Philoſophiæ, & Theologiæ in aliqua vniuerſitate generalis ſtudij per quinquennium,vel ſaltem per quadriennium operam dediſſe, & Bacalaureatus gradum accepiſſe. Item ſi ſcicunt dictum præſentatum non eſſe diuitem, adeo vt qualiacumque vectigalia ſummam centum, & quinquaginta aureorum Bononiam allatorum non excedant (diuitiæ tamen paternæ quantumcumque magnæ, filio ad hoc impedimento ne ſint) nec eſſe, vel fuiſſe monachum, fratrem, religioſum, Canonicum, regularem, ſeù aliquam Religionem profeſſum, nec coniugatum, vel contagioſo morbo laborantem, ſicuti lepra, morbo gallico, aut alio ex quo deformis nimis efficiatur, nec aliquam vilem artem ipſum, vel aliquem ex eius maioribus exercuiſſe, nec dictum præſentatum in abiecto miniſterio alicui famulatum fuiſſe, aut alterius cuiuslibet Collegij famulum, ſiue familiare extitiſſe, nec habere in hoc noſtro almo Collegio patrem,fratrem,patruum,auunculum fratris,aut ſororis filium. Item ſi ſcunt dictum præſentatum non fuiſſe accuſatum incarceratum, nec condemnatum per Sanctam Inquiſitionem, vel per alium quemlibet Iudicem Eccleſiaſticum, aut Secularem ob delictum hæreſis, vel aliud ex quo ſibi infamia irrogetur, ſiuè irrogata fuerit. Imò bonum, & Catholicum Chriſtianum ſemper habitum fuiſſe, & communiter receptum, nec vnquam contrarium audiuiſſe. Item ſi ſciunt prædictum præſentatum eſſe filium legitimum, & naturalem N.Patris, & N.Matris ſuæ, & ab eis vti talem habitum reputatum, nominatum, & educatum. Item dictum N. Patrem d. præſentati, vel

N.auum,

N.auum, siue N.auiam ipsius ex parte patris, vel proauos, aut maiores eius coniunctim, vel disiunctim non fuisse accusatos, condemnatos, nec incarceratos, per Sanctam Inquisitionem ob delictum hæresis, nec per alium Iudicem Ecclesiasticum, aut Secularem ob delictum ex quo sibi irrogetur, vel irrogata fuerit infamia publicè, vel secretè; Imò supradicti omnes sunt, & semper fuerint habiti, & communiter reputati fideles & antiqui, ac Catholici Christiani, nec vnquam in contrarium aliquid audiuisse. Item si sciunt dictum N. Patrem dicti præsentati, ac N. & N. auos paternos, proauos, vel maiores illius coniunctim, vel disiunctim non esse, nec fuisse Iudæos, Mahumetanos, hæreticos, reconciliatos, neophitos, aut nouiter conuersos, nec vllam memoriam, vel famam esse, ipsos siuè ipsorum aliquem aliqua ex parte genus ducere ab aliqua ex prædictis maculis; Imò potius omnes esse, & fuisse Christianos veteres, & vt tales absq; vlla praua, macula habitos, & communiter, ab omnibus reputatos in Ciuitatibus, vel Oppidis quorum Incolæ fuerunt, & manifestum, publicamque omnium famam, & opinionem clarè, & distinctè deponant dicentes vbi, quando, à quibus, & coram quibus contrarium audiuerint. Item supradictæ proximæ duæ interrogationes fient ad pedem literæ de N. matre dicti præsentati, ac de N. & N. auis suis ex parte matris, & suis maioribus ex quibus ipsi veniunt. Item si sciunt dictum præsentatum filium dd. parentum, & nepotem dd. auorum, omnesq; illos ipsis maiores habitos, & communiter receptos Christianos veteres, exemptos ab omni praua macula maurorum, Iudæorum, Hæreticorum, & reconciliatorum, vel si aliquid in contrarium vnquam audierint clarè, & distinctè deponant, dicentes à quibus, & coram quibus audierint, & super omnibus articulis supra positis examinentur Testes de publica voce, & fama, circa vitam, mores, & puritatem sanguinis d. præsentati, ipsiusq; parentum, & maiorum. Qua probatione ità facta coram alio notario fiet alia trium testium qui deponant prædictos quinque Testes, & notarium primæ esse Christianos veteres absque vlla macula maurorum, Iudæorum, Hæreticorum &c. Quæ testimonia disiunctim, claudantur, & sigillo Iudicis signentur, ac ita clausa, & signata ad nos afferat dictus præsentatus cum literis præsentatitijs in formam supra traditam conditis. Quibus allatis, & præsentatis per aliquod temporis spatium Bononiæ tenebitur commorari antequam admittatur secundum nostrorum sttatutorum formam absq; dispensatione, tamen cuiuslibet minimi defectus earum. Non autem omninò necessarium est, vt originalia probationum afferat; Sed sufficit exemplaria earum afferre cum testimonio notariorum attestantium, apud se originalia remanere manu propria Testium subscripta, vel aliorum eorum nomine, si scribere nesciant. Quæ exemplaria clausa, & sigillo Iudicis signata omninò esse debent. Transacto dicto tempore, si probatæ fuerint per nos, eius probationes prædictæ, in fa-

cultate, ad quam præsentatus fuerit, punctum illi signabimus, & in eo lectionem legere, & omnibus argumentantibus respondere die sequenti tenebitur, vt melius de ipsius litteris sufficientia, & docilitate (cognita iam generis puritate) Iudicium fieri possit; Si verò post eius admissionem aliquis dolus, seù falsitas, in quauis probationum, aut titulorum parte, vel eius persona, depræhendetur (quod diu nunquam nos latuit) expelletur turpissimè à Collegio, & quæ ab ipso receperit emolumenta restituere cogetur. Et quia Collegium certis annis, ac temporibus ad examinandas dd. probationes, & Instrumenta solet nuntios, & perquisitores in Hispaniam mittere contra Iudicem, Testes, & notarios, qui in culpa fuerint de iuris rigore procedetur emolumenta autem quæ prædictus Præsentatus habebit à Collegio sunt sequentia. Prima die sui ingressus sibi consignabitur cubiculum omnibus rebus instructum cum claue bibliothecæ communis, & statutis Collegij, & in toto octennio habebit duas vestes ex panno nigro, & duo focalia, seù caputeos ex Iyacintino panno, centum libras bononienses (quas nos subsidium appellamus) quolibet anno, ac triginta libras candelarum, vel olei ad suas lucubrationes, & si Rector fuerit, habebit præter subsidium ordinarium centum, & quinquaginta libras bononienses; Si verò in vniuersitate bononiensi obtinuerit Cathedram, fruetur ex parte Collegij subsidio triginta scutorum bononiensium vltra prouisionem dictæ vniuersitatis, & ordinarium Collegij subsidium. Item habebit famulos communes etiam ad res suas priuatas, Medicum, Chirurgum, Tonsores, & reliqua ægrotantibus necessaria, & si gradum doctoratus in sua facultate, post tertium sui ingressus annum susceperit, non mediocrè à Collegio habebit iuuamen; Vltimò si rectè, & studiosè, ac secundum statuta nostra vixerit commorabitur in Collegio per spatium octo annorum, & non vltra nisi Rector fuerit, tunc enim nonus illi conceditur annus. Vrbanus Papa VIII. Dilecte salutem, & Apostolicam benedictionem. Alias postquam Gaspari Episcopo Albanensi Cardinali Borgiæ nuncupato per nostras in simili forma Breuis sub die 18. Aprilis 1630. expeditas literas commiseramus, & manderamus, vt per se ipsum, aut personam Ecclesiasticam virtute, doctrina, integritate, & experientia præstantem ea vice dumtaxat Collegium quod bo: me: Aegidius Albornotius Hispanus S. R. E. Cardinalis in Ciuitate nostra Bononiensi ad studiosorum Hispanicæ nationis in bonis artibus eruditionem magnis sumptibus erigendum curauit, & amplissimis redditibus dotatum reliquit, authoritate nostra visitaret aliaque tunc expressa faceret, & gereret pro parte tua nobis exposito, quod dictus Gaspar Episcopus, & Cardinalis ad executionem litterarum nostrarum prædictarum non dum deuenerat. Tù verò qui (vt asserebas) è familia, siuè domo dicti Aegidij Cardinalis descendis, occasione transitus tui per eamdem Ciuitatem, tunc faciendi Collegium prædictum, authoritate nostra visitare

posse,

posse, tibiq; propterea per nos, vt infrà indulgeri summoperè desiderabas; Nos tibi vt per te ipsum ea vice dumtaxat Collegium prædictum dicta auctoritate visitare, aliaque etiam tunc expressa facere, gerere posses, & valeres plenam, & amplam facultatem concessimus, & impartiti fuimus prout in alijs nostris in eadem forma breuis sub die 8. Aprilis 1634. expeditis literis quarum tenoris præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem sicut Nobis nuper exposuisti tù in tuo è Ciuitate Mediolanensi ad almam Vrbem nostram reditu, morbo affectus Collegium prædictum personaliter visitare nequiueris, illudque ad præsens visitatione maximè indigeat, & à dilecto filio nostro Alphonso tituli Sancti Martini in montibus Præsbytero Cardinale de la Cueua nuncupato vti antiquiori nationis Hispanicæ Cardinali ad visitationem huiusmodi faciendam proximiori visitari minimè possit. Nos te amplioribus fauoribus, & gratijs prosequi volentes supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; Tibi personam Ecclesiasticam, quæ pro te hac vice dumtaxat eiusdem Collegij Rectorem Thesaurarium, ac domi Magistrum Consiliarios, Syndicos tam præsentes, quam præteritos, Collegialesq; omnes, & Capellanos Portionistas factores, & famulos, seù familiares prædiorum, & alias dicti Collegij personas, ac bona quæcumq; auctoritate nostra visitare, ac in singulorum studia, vitam, & mores diligenter inquirere, si quos inuenerit inhonestè viuentes, aut communis pacis perturbatores, seù seditiosos, aut d. Collegij statutis contrauenientes, vel aliàs quomodolibet delinquentes corrigere, punire, & castigare, ac si opus fuerit pœnas in statutis Collegij prædicti Apostolicam auctoritatem confirmatis contentas exequi, ac contra illos opportunis Iuris, & facti remedijs procedere ipsosq; delinquentes, & facinorosos à prædicto Collegio expellere, aut in vincula conijci facere, & detineri curare, ac in his omnibus, & singulis prout culpæ, & excessus qualitas exegerit, etiam manu regia procedere; Præterea quoad bona reditus, & prouentus d. Collegij quonam modo dispensata, & administrata hucusq; fuerint, & nunc dispensentur, & administrentur diligenter inspicere, & à quibuscumq; Rectoribus, Vicerectoribus, Thesaurarijs, Syndicis, Consiliarijs, Collegialibusq; tam præsentibus, quam præteritis domi Magistro, Portionistis, Factoribus, Socijs prædiorum, seù possessionum, aut alijs quibuslibet Officialibus, qui à septem annis, vel etiam anteà si ità personæ huiusmodi videbitur d. Collegium, & eius bona quæcumq; mobilia, & immobilia reditus, & prouentus administrarunt, rexerunt, & gubernarunt suæ administrationis rationem exigere, & ad hunc effectum illos, & quemlibet eorum si in Ciuitate Bononien. vel eius districtu præsentes fuerint ad se auocare, illos, ad præstandum de veritate dicenda iuramentum compellere, & diligenter examinare, & ad exhibenda eorum computa, exhibendamq; de illis omnibus rationem sub censuris, & pœnis

Eccle-

Ecclesiasticis alijsq; opportunis iuris, & facti remedijs compellere, in contrauenientes censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauare, & ad præmissa, aliaq; infrascripta auxilium brachij secularis inuocare, quod vero in eiusdem Collegij vsus necessarios, aut vtilitatem expositum in computis huiusmodi repererit, approbare, contra verò, si quæ malè, & perperam exposita, aut ablata esse constiterit, illa ab ipsis ministris à quibus exposita, aut alijs personis, per quos ablata, aut pœnes quos reperientur, eidem Collegio restitui, & integrè recuperari, ipsosq; Ministros grauiter puniri pariter curare, & facere, ac tam præmissa omnia, & singula, aliaq; circa ea necessaria, seù quomodolibet opportuna dicere, gerere, & exequi, quam quoscumq; Testes ad præmissorum veritatem habendam extra Ciuitatem Bononien. vbicumq; reperti fuerint in Terris S. R. E. examinari facere, & pro male ablatis, seù captis, & expensis à personis, quæ à d. Collegio iam recesserunt recuperandis contra quoscumq; vt supra dictum est per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, & si ij non fuerint de gremio Collegij prædicti, cuiuscumq; sexus, gradus conditionis, & qualitatis extiterint quacumq; appellatione recursu, & reclamatione post positis procedere, nec non quoscumq; dicti Collegij Officiales, & Ministros, tuo seù personæ huiusmodi arbitrio cassare, & mutare ac electionem futurorum Officialium pariter si illi ità expedire videbitur suspendere, ac tibi, seù illi beneuisos nominare, & deputare, ac quæcumq; dicti Collegij statuta abrogare aliaque de nouo condere, & illa obseruari facere liberè, & licitè possit, & valeat, deputandi plenam, & amplam facultatem concedimus; Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eiusdem Collegij etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus cœterisq; contrarijs quibuscumq; Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 24. Aprilis 1638. Pontificatus nostri anno decimoquinto à tergò. Dilecto filio nostro Aegidio tituli S. Mariæ in via Presbytero Cardinali Arbornotio nuncupato Nos qui statuta huiusmodi nonnullos eiusdem Curiæ Prælatos prudentia integritate doctrina, & grauissimarum rerum vsu conspicuos diligenter examinari, considerari, & reuideri, nobisq; deindè totum negocium referri iussimus, inuiolabili statutorum præinsertorum huiusmodi obseruationi perpetuæq; firmitati quantum cum Dño possumus consulere volentes, supplicationibus prædicti Aegidij Card. Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati. De prædictorum Prælatorum consilio-

lio ſtatuta præinſerta examinata, & reuiſa, vt prædicitur, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illiſque inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & ſingulos tam iuris, quam facti defectus ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint ſupplemus; Decernentes eadem ſtatuta nec non præſentes litteras, & in eis contenta quæcumq; ſemper, & perpetuò valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore ac in d.Collegio à modernis, & pro tempore exiſtentibus illius Rectore, Collegialibuſq; omnibus, cœteriſq; ad quos ſpectat, & in futurum quomodolibet ſpectabit firmiter, & inuiolabiliter obſeruari, & adimpleri; Sicq; & non aliter in præmiſſis per quoſcumq; Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis etiam antiquis, & quibuſuis alijs dicti Collegij etiam de illorum abrogationi non conſentiendo, aut alias quomodolibet diſponentibus etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum omnium tenoris præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Cœteriſq; contrarijs quibuſcumq; Volumus autem vt præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio, & extrà adhibeatur; quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 27. Februarij 1644. Pontificatus noſtri anno vigeſimoprimo.

Loco O Sigilli.

M.A.Maraldus.

V.D.Iuuentius Tort.Pœnit.pro Eminentiſs.& Reuerendiſs.D.Card. Archiep.Bonon.& Princeps.
D.Carolus Ioſeph.Roſſenus, pro Eminentiſs.& Reuerendiſs.D.Card. Archiepiſcopo.

Imprimatur
D.Seraph.Bonau.Prouich.S.Offic.Bonon.

INDEX RVBRICARVM

Omnium Statutorum, atq; distinctionum quæ hoc Volumine continentur.

PRIMA DISTINCTIO.

Statutum primum quod Collegium Domus Hispanorum, & ipsius Sacellum nomine Sancti Clementis nuncupetur. pag. 3

Stat. 2. quot Capellani quales, & cuiates esse debeant, & a quo delegi, atq; admitti, & de iuramento in admissione ab ipsis præstando. p. 4

Stat. 3. quod Capellani communem vitam cum Sodalibus agant, non tamen sint membra quasi corporis Collegij ac de eorum prouisione, & subsidio. p. 5

Stat. 4. quomodo Capellani se debeant; habere circa diuinum cultum ferijs, & diebus solemnibus. ibid.

Stat. 5. de Missa pacis, & exequijs anniuersarijs celebrandis, & cui oblationes in sacello facta debeant attribui. p. 6

Stat. 6. cui ornamenta sacelli, & reliqua supellex ad Officia celebranda debeant consignari, per quem apparari, & de ijsdem ornamentis quolibet anno augendis. p. 7

Stat. 7. de pœna Capellanorum qui diuinis Officijs non interfuerint ac de eorum defectibus supplendis, & quod nullum Officium habere possint, per quod sacelli ministerium impediatur. p. 8

Stat. 8. Capellani quandiu in Collegio permanere, a quo corrigi, & quibus ex causis à Collegio expelli debeant. p. 9

Stat. 9. de officio à sodalibus peragendo, pro D. Aegidij anima, & consanguineorum. ibid.

Stat. 10. de audienda re diuina, mulcta deficientium, & distributionibus. p. 10

Stat. 11. quibus temporibus Rector, & Collegiales confiteri, & communicari teneantur, & quod in sacello ante Santissimum Eucharistia Sacramentum numquam deficiat lumen, ac de eiusdem custodia. ibid.

SECVNDA DISTINCTIO.

Statutum primum quot sodales esse debeant, & de facultatibus, quibus debent incumbere, ac de his non confundendis, aut transmutandis. p. 11

Stat. 2. quæ Ecclesia, & quot singulæ Scholasticos, & vnde debeant præsentare. p. 12

Stat. 3. quomodo præsules, & Ecclesiæ debeant, & vnde præsentare. p. 13

Stat. 4. quot Scholasticos, quomodo, & vnde optimates gentis Albornotia præsentare possint. p. 14

Stat. 5. quot Sodales ex Albornotia familia possint esse in Collegio, & a quo præsentari. p. 15

Stat. 6. quis ex pluribus præsentatis cæteris præferri debeat. ibid.

Stat. 7. quemadmodum Rector, & Consiliarij teneantur admonere præsentatores, vt præsentent, ac alia facere, locis in Collegio vacantibus. p. 16

Stat. 8. de supplenda negligentia præsentatorum per Collegium. p. 17

Stat. 9. de ætate, & qualitate ad Collegium admittendorum, & qua disciplina instructi esse debeant. p. 18

Stat. 10. de admittendorum in Collegium, erga vitam, mores, ac docilitatem examinatione. ibid.

Stat. 11. de formula iuramenti; quod præstare debent præsentati antequam admittantur, & de ipsorum admissione. p. 19

Stat. 12. quomodo perquisitor in Hispaniam mitti debeat, & quo modo suum munus obire. p. 20

TERTIA DISTINCTIO.

Statutum primum de consignatione cubiculorum, & suppellectilis, ac de ipsorum ratione reddenda, & de visitatione à Rectore facienda. p. 22

Stat. 2. de cubiculorum distributione. p. 23

Stat. 3. de cubiculorum mutationibus non faciendis, & eorum cum vacauerint electione. ibid.

Stat.

Stat. 4. de portione cibi quotidiani, & eius extraordinario. p.24
Stat. 5. de hora prandij, & cena, pulsatione campana benedictione mensa, & gratiarum actione. p.25
Stat. 6. quo tempore fores Collegij, & per quem claudi debeant, & de antiphona Beata Virginis in Sacello singulis noctibus recitanda. p.26
Stat. 7. qui sessionis ordo, tam in Sacello, quam in mensa, siù alibi inter Collegiales seruari debeat. ibid.
Stat. 8. de lectione sacra scripturæ in prandio, & cœna de silentio tenendo: quod ad mensam communem, nihil priuatim aferatur; de fragmentis panis quæ superabunt, & vt in triclinio diebus ieiunij carnes, vel oua comedi non possint. p.27
Stat. 9. de subsidio agrotantium, & mortuorum funere. p.28
Stat. 10. quod nullus possit extraneum aliquem in Collegio inuitare, vel ad dormiendum admittere. p.29
Stat. 11. quomodo vestiri debeant Collegiales, & incidere, per vrbem. ibid.
Stat. 12. de candelis, & subsidio Collegialibus suppeditando. p.30
Stat. 13. de indumentis Octennio toto tribuendis. p.31
Stat. 14. de subsidio Collegialibus ad gradum præstando, ac disputatione per ipsos, prius habenda, cautione præstanda, & cathedra seù Officijs procurandis. p.32
Stat. 15. de honore impendendo Collegialibus gradum sumentibus, & ineunda ratione si sint plures, & pecuniæ non supetant cunctis gradum sumere volentibus. p.33
Stat. 16. de electione ad prabendam Ecclesiasticam, & Studij Bononiensis cathedram, ac eius extraordinario subsidio. ibid.
Stat. 17. quandiù Collegialibus liceat in Collegio commorari. p 34
Stat. 18. quid faciendum sit si Collegiales vectigalibus augeantur. ibid.
Stat. 19. quandiù Collegiales abesse possint à Collegio. p.35
Stat. 20. vt quotidie Collegiales operam studijs impendant. p.36
Stat. 21. de actibus literarijs in sacello habendis, vel extraordinarie legendo. ibid.
Stat. 22. de exercitio literario. p.37

QVARTA DISTINCTIO.

STat. primum de electione Rectoris. p.38
Stat. secundum de non recusando officio ab eo qui fuerit Rector declaratus, ac de eius confirmatione petenda, & iuramento per eundem præstando. p 40
Stat. 3. quod Rector Collegij possit esse vniuersi gymnasij Bononiæ Rector, de eius salario, ac de vice Rectore illo absente. p.41
Stat. 4. de iurisdictione Rectoris, circa causas, & negotia Collegialium. p 42
Stat. 5. de generali inquisitione singulis annis per Rectorem facienda contra eos, qui possessionum fructus ad Collegium spectantes vsurpauerint, & de prohibitione alienationis bonorum Collegij. ibid.
Stat. 6. quæ debeant per Collegium, vel Rectorem, & consiliarios expediri. p.43
Stat. 7. de visitatione possessionum per Rectorem, consiliarios, & Collegiales facienda, & de facultate ad eas eundi atq; manendi. p 44.
Stat. 8. de electione consiliariorum, & eorum iuramento. p 45
Stat. 9. de receptione Oeconomi, ac de illius iuramento, & salario. ibid.
Stat. 10. de officio Oeconomi. p.46
Stat. 11. quod nullus officialis in annum sequentem iterum deligatur, & de ambitù vitando. p.49
Stat. 12. de prædiorum curatore. p 50
Stat. 13. de famulis Collegij, eorumq; ministerijs, salario, & cautione præstanda. ibid.
Stat. 14 de medico, chirurgo, notario, procuratore, & eius iuramento, ac de negociorum gestore, tonsore, lotrice eorumq; salarijs. p.51
Stat. 15. de conseruatione instrumentorum & scripturarum, de sigillijs Collegij, & inuentarijs faciendis. p.52
Stat. 16. de custodia, & conseruatione librorum, & bibliotheca. p.53
Stat. 17. quis ordo sit tenendus, si reditus Collegij nimium attenuentur. p.54
Stat. 18. quid faciendum sit, si Collegium pecunijs abundauerit. ibid.
Stat. 19. de habentibus patrocinium Collegij, & iurisdictione D. Cardinalis Protectoris, ac potestate eligendi Vice Protectorem. p.55
Stat. 20. de visitatoribus Collegij, tempore, & ratione visitationis de eorumdem salario, potestate ac pœna reclamantium. p.56
Stat. 21. de potestate visitatorum circa causas, & bona Collegij, & quid faciendum sit contra volentes aliquid de Collegio occupare. p.57

QVIN-

QVINTA DISTINCTIO.

STat. primum de pœna blasfemantium, vel per Deum ac Sanctos passim, temereq́; iurantium ac turpia verba loquentium. p.58
Stat. 2. de pœna eius qui mulierem aliquam in Collegium, vel possessiones induxerit. ibid.
Stat. 3. de pœna furantium aliquid de bonis, vel rebus Collegij, vel sociorum possessionum. p.59
Stat. 4. de pœna portantium arma, & percutientium, aut ad percutiendum capientium. ibid.
Stat. 5. de pœna, verbis rixantium, & ad verbera sine armis procedentium aut alteri parti fauentium. p.60
Stat. 6. de pena male dicentium, & susurrantium. ibid.
Stat. 7. de pœna falsi testes ac eius qui iniperiurium incurrit horum statutorum vigore, & eius qui Rectori non obedierit in licitis, & honestis. p.61
Stat. 8. de pœna ludentium talis aut chartis. ibid.
Stat. 9. de pœna canentium lyra, aut alijs instrumentis tripudiantium, & eorum, qui personati exeunt, vel ingrediuntur, item celam vinariam, vel coquinam intrantium, vel aliquid de suppellectile Collegij sibi sumentium. p.62
Stat. 10. de pœna venientis foribus Collegij clausis siue per fenestram, vel parietes exeuntis, seu intrantis, aut extra Collegium pernoctantis, & eius, qui Collegio digressus per decemdies abfuerit. ibid.
Stat. 11. de pœna dormientis in alterius cubiculo, vel litteras ad alium missas surripientis, aut quoquomodo accipientis, & non reddentis, & eius qui non præcipuam operam impenderit doctrinæ ad quam in Collegio fuerit admissus. p.63
Stat. 12. de pœna obtrectantium Rectori, vel Consiliarijs propter pœnas iniunctas, & contumelia Rectorem afficientium, vel in statum Collegij aut Rectoris caput coniurantium, seu eius honori obsistentium, & secreta Collegij enuntiantium. p.64
Stat. 13. de remedio contra iniuriam illatam à Rectore, & magnas Collegialium seditiones. ibid.
Stat. 14. de pœna Rectoris, & Consiliariorum si negligentes fuerint in pœnis infligendis, & de prouisione contra Rectorem statuta non seruantem, nec vt seruentur curantem. p.65
Stat. 15. quomodo statuta intelligi debeant. ibid.
Forma communis. p.66. vsq; ad p.73

FINIS.

ERRATA.

Pag. 12. in lin. pri. facilierum pro faciliorem pag. 23. Stat. 2. ipsi pro ipsis pag. 28. teneatur pro teneatur pag. 38. facrista pro sacristia pag. 47. quod in receptione pro quæ pag. 56. accedat pro succedat pag. 65. quia Reus pro qua pag. 68. fcicunt pro sciunt in eadem pag. fcunt pro sciunt pag. 69. ipsis maiores pro ipsius.

Placuit nomina existentium Collegialium hic aponere.

Licentiatus D. Alphonsus Salcedo del Villar Rector.

D.D. Didacus de Aguilera, & Valdiuia.
D. Iosephus de Spinosa, & garai.
D. Ludouicus Aluarez desocampo.
D.D. Nicolaus Romanus de Loyolaetmolina.
D. Garsias de Montaluo, & cotes.